

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


VE
RI
TAS



QUAESTIONUM LACONICARUM

CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

CONSCRIPSIT

LUDOVICUS WEBER

SILESIUS.


GOTTINGAE MDCCCLXXXVII

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

PATRI

S.


HARVARD COLLEGE
DEC 11 1891
LIBRARY

PATRI

S.



I.

De 'institutis Laconicis' Pseudoplutarcheis.

Cum ex sententiis, quas viri docti adhuc de institutorum Laconicorum libello inter Plutarchi opera tradito tulerunt, nemo certi quidquam possit concludere, quippe quae mirum quantum sibi adversentur, prorsus instauranda mihi quaestio de huius libelli fontibus et auctoritate visa est. Ut enim alii hunc librum quasi fontem eiusdem cum Xenophontis re publica Lacedaemoniorum notae vel cum Plutarchi vita Lycurgi ad res Laconicas, quales reconditis illis Lycurgi qui dicitur legumlatoris temporibus fuerint investigandas existimari voluerunt, ita fuerunt alii, qui eum totum e Plutarcho pendere vel adeo a Plutarcho ipso tamquam penum doctrinae conscriptum esse affirmarent. Quin etiam nuperrime extiterunt, qui cum librum illum posteriore alterius a. Chr. n. saeculi parte ab Aristocrate rerum Laconicarum scriptore esse confectum vel ex eius libro brevi post excerptum sibi persuasissent, id aliis quoque persuadere se posse sint arbitrati. Ei fundamento quo nisi sententiam profiterentur, usi sunt extremis libelli verbis (οἱ Λακεδαιμόνιοι) εἰς δουλείαν μετέστησαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο, quae quantum ad tempus eius definiendum valeant, in fine huius disquisitionis manifestum fore spero. Nos ne in avia temere incurramus, pedetemptim progrediamur, singula opusculi capita unde fluxerint perlustrantes. Qua inquirendi ratione quantopere hac potissimum in re opus sit, optime opinor inde clarescit, quod hic liber cum in codicibus nostris titulo careat, uno tenore cum apophthegmatis Laconicis et Lacaenarum legitur, quae non ex unius scriptoris opere conflata esse hodie nemo praeter Boehmium [1]) (quaestiones Laconicae diss. inaug. Vratisl.

---

1) G. Fluegelius ('Die Quellen in Plutarchs Lycurgos' diss. Marb. 1870) totum corpus apophthegmatum et institutorum Laconicorum ex Aristocratis, de quo omnia fere ignoramus, opere cui titulus Λακωνικά fuit (cf. Athen. III p. 82 E) excerptum esse affirmavit. Boehmius vero de apophthegmatis quidem illum recte

1875) ignorat. Neque aliter de pannis illis quos homines recentioris aetatis ab apophthegmatis tamquam τὰ παλαιὰ τῶν Λακεδαιμονίων ἐπιτηδεύματα seiunxerunt esse iudicandum mihi persuasum est. Quamquam regnat adhuc quantum video opinio illa imprimis a Volkmanno professa (Leben, Schriften und Philosophie Plutarchs von Chaeronea I p. 238/9), capita de quibus agimus excerpta esse ex uno libro scriptoris alicuius qui fuit post Corinthum deletam. Hanc opinionem falsam esse nunc mihi est demonstrandum; quod ut recta via assequar, primum quidem quaerendum mihi videtur, quae tandem fuerit natura libri illius ab hominibus doctis positi. Nam ad aliquam veritatis speciem id ex excerptis etiam nunc cognosci poterit. Neque tamen de dispositione verba facio. Iam Boehmius eam recte explicavit. Mea refert quantum fieri potest intellegere, quibus opibus usus sit auctor ille nobis ignotus. Ac primum ab Herodoto eum quaedam mutuatum esse docet capitis 10 initium cum Herod. II, 80 collatum:

Inst. L. 10.	Herod. II, 80.
Καὶ τοὺς νέους δὲ (legend. ἔδει) οὐ μόνον τοὺς ἰδίους αἰδεῖσθαι πατέρας καὶ ὑπηκόους τούτοις εἶναι, ἀλλὰ πάντας τοὺς πρεσβυτέρους ἐντρέπεσθαι καὶ ὁδῶν ὑποχωροῦντας καὶ καθέδρας ὑπεξισταμένους καὶ παρόντων ἡσυχάζοντας.	οἱ νεώτεροι αὐτῶν (scil. τῶν Αἰγυπτίων καὶ Λακεδαιμονίων) τοῖσι πρεσβυτέροισι συντυγχάνοντες εἴκουσι τῆς ὁδοῦ καὶ ἐκτράπονται καὶ ἐπιοῦσιν ἐξ ἕδρης ὑπανίστανται.

De silentio quo senes a iunioribus observantur, nihil habet Herodotus. Sed id tam notum fuisse, ut facile auctor potuerit addere probant Xenophontis et Platonis loci, quos citat Trieberus (quaest. Laconic. pars I Berolini 1867. p. 66) [1]).

iudicasse censet, 'instituta' autem esse revocanda ad quamlibet πολιτείαν Λακεδαιμονίων, pro argumento usus dilogia quadam, quam intercedere sibi persuasit inter § 18 apophthegmatum Lycurgi et cap. 5 institutorum. Excerptor igitur ex Boehmii sententia primum ἀποφθέγματα Λακωνικά et τὰ διάφορα τῶν ἐν τοῖς Λάκωσιν ἀδόξων ἀποφθέγματα ex Aristocrate, tum instituta Laconica ex libro ignoto περὶ πολιτείας Λακεδαιμονίων denique ἀποφθέγματα Λακαινῶν (p. 41) ex Aristocrate compilavit!! Hanc sententiam supersedeo refellere. 'Dilogia' illa si revera id quod vult Boehmius probaret, certissimum ei ipsi esse debebat, ne apophthegmata quidem ex uno scriptore omnia esse corrasa — id quod iam per se si quid aliud probabile est. — Saepenumero enim idem fere eisdem verbis dicitur: cf. e. g. apophth. Agesil. 6, 28, 29, 34, 56 Antalcidae 1, Agid. Archid. fil. 5 cum Damonidae, Archidami Ages. fil. 2, Antalc. 7, Androclidae, Lysandri 8, 10 Aristonis 2 apophthegmatis.

1) At falsus est Trieberus in derivando hinc Nicolai Damasceni qui dicitur paragraphum tertiam Laconicorum. Posita haec sententia videtur esse in verbis τοὺς ἰδίους πατέρας, quae sola apud utrumque extant. Mihi persuasum est esse

Deinde optime accidit ad sententiam Volkmanni confirmandam, quod certa Xenophontis vestigia in excerptis quae habemus apparent, a quo plura sumpsisse anonymum, si omnino aliorum libros adhibuit, propterea facile suspicaturus eris, quia libro peculiari ille de re publica Lacedaemoniorum egit. Septimum igitur excerptum est de puerorum amore qualis Spartae concessus fuerit. De quo quae habet Xenopho (II, 13) conferas quaeso cum institutorum capite:

Inst. c. 7.	Xenoph. l. c.
Ἐρᾶν τῶν τὴν ψυχὴν σπουδαίων παίδων ἐφίετο, τὸ δὲ πλησιάζειν αἰσχρὸν νενόμιστο ὡς τοῦ σώματος ἐρῶντας, ἀλλ' οὐ τῆς ψυχῆς. ὁ δὲ ἐγκληθεὶς ὡς ἐπ' αἰσχύνῃ πλησιάζων ἄτιμος διὰ βίου ἦν.	Ὁ δὲ Λυκοῦργος — εἰ μέν τις αὐτὸς ὢν οἷον δεῖ ἀγασθεὶς ψυχὴν παιδὸς πειρῷτο ἄμεμπτον φίλον ἀποτελέσασθαι καὶ συνεῖναι, ἐπῄνει καὶ καλλίστην παιδείαν ταύτην ἐνόμιζεν· εἰ δέ τις παιδὸς σώματος ὀρεγόμενος φανείη, αἴσχιστον τοῦτο θεὶς ἐποίησεν κτέ.

Eadem narrantur ab utroque. Eo tantum distant inter se, quod libidinis poenam ἀτιμίαν fuisse anonymus tradit, Xenophontis verbis αἴσχιστον τοῦτο θεὶς neglegenter expressis. At Aelianus quoque similia de puerorum amore explicans aliam habet poenam (v. h. III, 12). Aut exilio aut supplicio punitos eos esse dicit, qui turpi amore flagrarent. Quod si recte animo reputaverimus, studio augendi in eis potissimum conspicuo, qui rem ab aliis narratam latius promulgari velint, factum esse credemus, ut homines posterioris aetatis in delictum, quod turpissimum habitum esse in libris invenerunt, acerbissime actum esse traderent. Quae vero poena constituta fuisset, quod se scire simulaverint, non magnopere in Aelianis mirabimur. Dubitari non potest quin Xenopho adhibitus fuerit in libro illo, cuius excerpta superesse creduntur. Quamquam in re eadem enarranda verbis quidem aliis modo usum esse scriptorem ignotum atque Xenophontem vidimus. Sed ne id quidem cadit in eum locum quo quanta inter se fiducia Spartani in liberis castigandis fuerint exponitur. Vide si placet:

Inst. 11.	Xenoph. VI, 2.
Παῖς δὲ ὑπό τινος κολασθεὶς εἰ τῷ πατρὶ ἐξήγγειλεν, αἰσχρὸν ἦν τῷ πατρὶ μὴ προσεντεῖναι ἀκούσαντα πάλιν (fortasse πληγὰς scrib.) ἑτέρας· ἐπίστευον γὰρ αὐτοῖς ἐκ τῆς πατρίου	Ἢν δέ τις παῖς ποτε πληγὰς λαβὼν ὑπ' ἄλλου κατείπῃ πρὸς τὸν πατέρα, αἰσχρόν ἐστι μὴ οὐκ ἄλλας πληγὰς ἐμβάλλειν τῷ υἱεῖ. οὕτω πιστεύουσιν ἀλλήλοις, μηδὲν αἰσχρὸν προς-

---

cogitandum de fonte communi, praesertim cum 'instituta' ab illo uno tantum loco adhibita esse si omnino hunc librum cognitum habebat vix credibile sit.

ἀγωγῆς μηδὲν αἰσχρὸν προστάξαι τοῖς τέκνοις.	τάττειν τοῖς παισί.

Eodem iure Xenophontis (III, 3 VI, 3, 4) doctrinam cum Wyttenbachio agnoscimus in excerptorum capitibus 21 et 23, quae longiora sunt, quam quae excribantur. Contra ea quae leguntur in capite 24, per scriptorem excerptum non ad Xenophontem (XI, 3) redire sed ex ipsius Aristotelis re publica Lacedaemoniorum petita esse haud dubie docemur scholio ad Arist. Ach. v. 320 fragmentum Aristotelicum exhibente, quocum mirum quantum verba huius capitis concinunt. cf. Val. Rose, Aristoteles pseud. p. 493, qui Aeliani (v. h. VI, 6) verba indidem derivanda attulit. —

Quod excerptor capitis 10 parte priore exposuit, revocandum esse ad Herodotum supra dixi. Alteram vero partem Xenophonti deberi nobis argumentum suppeditat haud spernendum formula illa οὐχ ὥσπερ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν prorsus Xenophontea. Ceterum etiam verborum similitudo est conspicua:

Inst. 10.	Xen. VI, 1, 2, 3.
Διὸ καὶ ἦρχεν ἕκαστος οὐχ ὥσπερ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι τῶν αὑτοῦ τέκνων καὶ δούλων καὶ κτημάτων· ἀλλ' ὥσπερ τῶν αὑτοῦ καὶ τῶν τοῦ πλησίον, ὅπως ὅτι μάλιστα κοινωνῶσι καὶ φροντίζωσιν ὡς ἰδίων.	Ἐν μὲν γὰρ ταῖς ἄλλαις πόλεσι τῶν ἑαυτοῦ ἕκαστος καὶ παίδων καὶ οἰκετῶν καὶ χρημάτων ἄρχουσιν· ὁ δὲ Λυκ. — — — ἐποίησε παίδων ἕκαστον ὁμοίως τῶν ἑαυτοῦ καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἄρχειν. ὅταν γάρ τις εἰδῇ, ὅτι οὗτοι πατέρες εἰσὶ τῶν παίδων ὧν αὐτὸς ἄρχει, ἀνάγκη οὕτως ἄρχειν ὥσπερ ἂν καὶ τῶν ἑαυτοῦ ἄρχεσθαι βούλοιτο.

Coniunxit igitur scriptor anonymus quae ex Herodoto petiverat cum Xenophonteis.

Ac simile quid ab eo commissum erat in loco, quem excerptum nunc capite 13 habemus. Prima autem huius capitis verba antecedenti potius esse adnectenda postea videbimus. Ex eis vero quae restant, verba ἵν' ἐθίζωνται μηδέποτε γίνεσθαι πλήρεις, δύνασθαι δὲ πεινῆν· ut eadem sunt quae apud Heraclidem qui dicitur extant, τρέφουσι δὲ τὰ τέκνα, ὥστε μηδέποτε πληροῦν ἵνα ἐθίζωνται δύνασθαι πεινῆν, ita proxima [1]) usque ad εἰς ὕψος τὰ σώματα e Xenophontis [2]) ca-

1) In his ἀποφέρειν — προσφέρεσθαι corruptelis scatent, neque habeo certam emendationem. Quae sequuntur, sic sunt legenda : — φοντο ὑγιεινότερα τὰ σώματα ἀπὸ τῆς ἐλλειπούσης ποιεῖν τροφῆς καὶ αὔξειν, εἰς βάθος καὶ πλάτος μὴ πιεζόμενον, ἐπαίρειν <δ'> εἰς ὕψος τὰ σώματα. cf. Plut. Lyc. 17.

2) Quo iure in hoc instituto doctrinam Xenophontis latere negaverit Ricardus Boehm (l. c. p. 22), non assequor.

pite II, 5 promanarunt. Sed offendimus in verbis βάθος καὶ πλάτος Xenophonteae narrationi intermixtis ac prorsus stupeamus necesse est considerantes quae sequuntur. Ex opinione vulgari acquiescendum nobis est in eo, ut haec ipsum ex suo ingenio suaque rerum Laconicarum cognitione addidisse dicamus auctorem anonymum.

Sed iam accessimus ad summam quaestionem, iam labefactari videtur opinio adhuc credita ex uno scriptoris alicuius opere excerpta esse instituta Laconica, quae tenemus. Pergratum enim accidit, ut verba huius de quo disserimus capitis, quae non ad Xenophontem aut Heraclidem possunt revocari, alio tamen loco iterum sunt tradita, scilicet in Plutarchi vitae Lycurgi cap. XVII. Tangat oculos similitudo:

Inst. 13.	Plut. l. c.
εἰς βάθος καὶ πλάτος μὴ πιεζόμενον —. καὶ καλὰ δὲ ποιεῖν· τὰς γὰρ ἰσχνὰς καὶ διακένους ἕξεις ὑπακούειν πρὸς τὴν διάρθρωσιν, τὰς δὲ πολυτρόφους διὰ βάρος ἀντιβαίνειν.	ὑπὸ πλήθους τροφῆς εἰς βάθος καὶ πλάτος πιεζόμενον. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ καλοὺς δοκεῖ ποιεῖν· αἱ γὰρ ἰσχναὶ καὶ διάκενοι μᾶλλον ἕξεις ὑπακούουσι πρὸς τὴν διάρθρωσιν, αἱ δὲ ὀγκώδεις καὶ πολύτροφοι διὰ βάρος ἀντιβαίνουσιν. —

Iam si caput 13 institutorum excerptum est ex libro tempore nescio quo ante Ch. n. de rebus Laconicis scripto, in propatulo est conclusio inde facienda. Plutarchus quoque librum illum in usum suum convertit [1]). Sed mirum profecto notatuque certe dignum accidit, quod Plutarchus cum in describenda vita Lycurgi librum adhiberet in quo Xenophontis Herodoti aliorum narrationes de rebus Laconicis compilatae erant, inde ea tantum elegisse putatur, quae ab illis non erant exposita. Perinde ac si suspicatus esset, librum illum aetatem non esse laturum sed futurum esse, ut fraus commissa lateret. Aliter enim haec res explicari nequit. Nam si quis mihi obvertat, in Plutarchi enuntiato quod locum supra adscriptum antecedit, Xenophontis vestigia posse agnosci, difficultas augetur potius quam tollitur. Neque tamen nego Plutarchum Xenophontis libro nonnulla debere aut hoc ipsum enuntiatum ad Xenophontem esse revocandum. Hoc enim ut concedam movet me tam verborum aliquorum concentus (καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι Xen. — τὴν σωμάτων αὔξησιν. Φέρεται γὰρ εἰς μῆκος Plut. τὴν διαπλατύνουσαν (τροφὴν) τῷ σίτῳ Xen. — ὑπὸ πλήθους τροφῆς εἰς βάθος καὶ πλάτος πιεζόμενον Plut.) quam vocula φασὶ in Plutarchi verbis inserta. Cave dicas quod Plutarchi verba non multum

1) Plutarchum ex excerptis ipsis hausisse sunt qui existiment. Eorum opinionem expressis verbis non refutabo. Cadet enim mox cum illa modo a me exposita.

distent a Xenophonteis, inde esse explicandum, quod ille capite 13 institutorum vel excerpto, quale habemus, vel integro usus sit. Nam cum in excerpto legamus ἐπαίρειν εἰς ὕψος statuendum videtur eisdem verbis ab auctore ignoto hanc sententiam fuisse expressam. Neque enim excerptorem verba fontis sui nulla prorsus de causa mutavisse credibile est neque Plutarchum forte fortuna in verba Xenophonti quam simillima incidisse. Deinde autem Plutarchus haud raro verbo φασί vel alio id genus indicat quae narrentur aliis deberi. Id cum eo quoque de quo agimus loco fecerit, inde a verbis τὸ δὲ αὐτὸ τοῦτο καὶ καλοὺς δοκεῖ ποιεῖν de suo ingenio aliquid addere videtur rei etiam aliunde notae. Itaque si ex uno libro hausta sunt 'instituta', res se aliter non habet: Plutarchus elegit consulto ea, quae ab hominibus optimae aetatis auctoritatisque summae non erant exposita, neglexit ea quae illi tradiderant, quamquam in his quoque erant, quae commemoratu digna esse poterant videri (caput 13 usque ad ποιεῖν τροφῆς). Hoc siquis potest sibi explicet. Nos quid de hac re censeamus, iam nostro iure nobis videmur pronuntiare.

Namque si quaerimus, qua tandem in re nitatur ista opinio, hoc unum proferre possunt homines docti argumentum, quod continuo ordine in codicibus manu scriptis legantur ac dispositio aliqua in moribus Spartanorum explicandis queat cerni. At apophthegmata quoque regum et ducum iusto ordine sunt tradita, neque tamen post Caroli Schmidtii curas ('de apophthegmatum quae sub Plutarchi nomine feruntur collectionibus' diss. Gryphisw. 1879) dubitatur, quin undique ea conscripserit is, cui collectionem debemus. Vides igitur quanti sit tale argumentum aestimandum. Tum vero difficultatem nobis ex ea opinione disserentibus gigni patefactum est, quam qui eam profiteantur, expedire non possunt. Quin igitur improbamus opinionem adhuc fere regnantem? Nulla profecto res obstat, immo in quo haerebamus, non amplius nobis est impedimento arbitrantibus non ex uno libro excerpta esse 'instituta Laconica' sed e nescio quot. Ac fortasse non opus est de pluribus duobus 'institutorum' fontibus cogitare. Quos si litteris A et B notare licet, caput 13 ita ortum esse apparet, ut prior pars ad A redeat, unde etiam ea sumpta sunt, de quibus antea disputavi, altera vero ad B. Iam praecipites sumus ad concludendum: Plutarchus scilicet quoque in eis quae consentiunt cum altera capitis 13 parte pendet ex B. —

Hoc vero minime sufficit. Nam non capitis 13 tantum pars conferenda est cum Plutarchi vita Lycurgi, sed etiam haud pauca praeter illud capita. Sunt autem haec: 1—6, 12, 14, 15, 18—20, 24, 40, quibus necessitudo aliqua intercedere videtur cum vitae Lycurgeae capitibus 12, 16, 17, 21, 27, 28, 24. Atque haec inter se

aliquo modo cohaerere primum prodit ordo singulorum capitum, qui loco ultimo excepto idem apud utrumque est. Deinde autem quae in capite 13 tractando iam animum advertebat similitudo verborum in excerpto atque Plutarcho conspicua, eadem cernitur in illis quoque capitibus modo cum suo quidque loco Plutarcheo conferas. Itaque si vera sunt quae exposui, facere non possumus, quin omnia illa capita ex B fluxisse existimemus. Tum vero aut Plutarchus quoque indidem in vita Lycurgi scribenda hausit, aut liber ille qui adhuc mihi B audit, est ipsa Plutarchi vita Lycurgi. Illud verum putant homines docti, praeterquam quod reliqua pariter 'institutorum' capita eodem libro comprehensa fuisse censent, id quod non recte existimari ostendi. Iam cum mihi ex Plutarcho illa capita desumpta esse videantur, utra opinio sit probabilior, nunc diligenter quaeramus. —

Nota quidem est Plutarchi consuetudo, e qua in vitis virorum illustrium enarrandis scriptorem eum quem plerumque sequitur, non nominat, vel tum demum cum alius cuiusdam hominis sententiam ei opponit. Neque vero minus notum est, Plutarchum fontibus suis non ita uti ut non modo res sed ipsa verba inde transferat in suas chartas. Habet enim sicuti quivis melioris notae scriptor suum genus dicendi. Qua de re cum dubitari nequeat, B fontem primarium vitae Lycurgeae non fuisse apparet. Neque enim fuit B, inquies, fons primarius Plutarchi, verum occasione data hoc vel illo loco prout ei placuit, ex B rem aliquam amplexus est, quae cum ultro se obtulisset, eis quae ex fonte primario fluxerant ab eo adiciebatur nulla verborum facta mutatione. Id quidem haud raro accidit in Plutarcho. Sed tum si non nomen ipsum auctoris affert e quo pendeat, at quantum video certe λέγουσι, λέγεται, φασίν vel tali aliquo additamento nobis indicat alienam esse narrationem. Itaque multo magis miraturus es, toties in vita Lycurgi Plutarchum aliena verba describentem fraudem fecisse nomine auctoris oppresso. —

Haec igitur ut commendant sententiam quam supra sum professus, ita ne temporum quidem rationes ei adversantur. Licet enim verum Fluegelius viderit, e verbis, quae extremo 'institutorum' capite 42 leguntur: (οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι) εἰς δούλειαν μετέστησαν καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἐγένοντο apparere ratus librum depastum medio fere saeculo II a. Ch. n. compositum esse, tamen inde nihil redundat ad tempora excerptoris definienda, nedum ad eam quaestionem solvendam cui tempori liber, quem praeter illum (A) in fontibus excerptoris fuisse demonstravi sit adsignandus. Aliqua ex parte actum esset de hac quaestione si Plutarchus eundem librum adhibuisset. Id vero nondum demonstratum est ac vereor ut omnino possit demonstrari. Quamquam adhuc creditur. Nihil igitur profe-

cit Th. E. Gierigius, qui in praefatione apophthegmatum et institutorum Laconicorum editionis maximam eorum partem desumptam esse ex Plutarchi vitis affirmavit. Quod ei opinor hac potissimum de causa accidit, quia in universum illud edicere maluit quam pluribus ostendere [1]). At e quadraginta duobus capitibus quattuordecim tantum cum Plutarcho possunt conferri. Itaque res summatim absolvi nullo modo potest, sed singula sunt percensenda. Namque vel inter ea, quae quam proxime accedunt ad Plutarchum, sunt de quibus disputari oporteat, cum ei qui ad B Plutarchum excerptoremque remittunt, in discrepantiis nonnullis inter hos intercedentibus niti posse videantur.

Atque primum quidem quod fertur Lacedaemoniorum institutum si cum Plutarchi loco qui est in vita Lycurgi cap. 12 contulimus:

(Inst.) Τῶν δὲ εἰσιόντων εἰς τὰ συσσίτια ἑκάστῳ δεικνύων ὁ πρεσβύτατος τὰς θύρας Διὰ τούτων φησὶν οὐδεὶς ἐξέρχεται λόγος.

(Plut.) τῶν δ' εἰσιόντων ἑκάστῳ δείξας ὁ πρεσβύτατος τὰς θύρας Διὰ τούτων φησὶν ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται.

quam maxime favet illi sententiae. Nam praeter particulam δὲ quam quis ex artissima huius cum proximo libro coniunctione ne lineola quidem turbata possit explicare, verba εἰς τὰ συσσίτια Plutarchi narrationem interpolantia ipsumque dictum in breviorem formam redactum produnt manum compilatoris. Nulla prorsus re vetamur credere, ex hoc ipso Plutarchi loco excerptum esse 'institutum'. Nam quisquis ex Plutarchi narratione continua separatim volet exhibere illud enuntiatum, addat necesse est εἰς τὰ συσσίτια. Idem sane Lacedaemoniorum institutum narratur duobus aliis locis a Wyttenbachio adnotatis, quorum alter est in Plutarchi quaestionibus conv. (VII, 1). Ubi cum exponat, optimam eam esse cenam, in qua cum convivis eleganter et docte colloqui liceat, se suosque convivas ita consuevisse disputare dicit, ut unusquisque possit audire τοὐναντίον ἢ Λακεδαιμόνιοι φρονοῦντας καὶ λέγοντας· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ὅτε νέον ἢ ξένον εἰς τὸ φιδίτιον παραλάβωσι, τὰς θυρίδας δείξαντες· Ταύτῃ φασὶν οὐκ ἐξέρχεται λόγος. In quibus dictum ipsum in uno vocabulo ἐξέρχεται propius accedit ad 'institutum', cum ταύτῃ a διὰ τούτων discrepet. Sed quominus illuc potius 'institutum' revocemus, cum alia tum narratio prohibet, quae dictum antecedit. Alterum locum (schol. in Plat. leg. I p. 633 A) longiorem quam qui adscribatur nos in hac quaestione non posse iuvare satis erit profiteri, quamvis aliquantum lucis veteribus

---

1) De apophthegmatis Laconicis C. Schmidtius dissertatione sua (v. p. 6) ostendit, quatenus verum viderit Gierigius. Iam si memineris non peculiarem librum esse in codicibus 'instituta', sed artissime cum illis cohaerere, etiam hac de causa propensior eris ad vulgatam opinionem tam male fultam abiciendam.

Lacedaemoniorum rebus Plutarchique vitae Lycurgi aestimandis adspergat. —

Secundum 'institutum' si quis recens a Plutarchi (vit. Lyc. 12) lectione adit, dubitare potest num re vera inde fluxerit — quamquam Wyttenbachius id affirmavit — propter Dionysii Syracusanorum tyranni mentionem. Plutarchus enim illud refert de aliquo rege Pontico dictum nomine nullo indicato. Itaque si 'institutorum' caput 2 e solo Plutarcho haustum est, nomen non poterat non deesse. Est igitur ad fontem excerptori cum Plutarcho communem confugiendum, quispiam dixerit. At in eo quid quaeso fuit scriptum? De Dionysio res narrabatur Syracusanorum rege an Pontico tyranno [1])? Si illud praeplacet, quo tandem modo potuit fieri, ut Plutarchus aliquem regem Ponticum scriberet, sin hoc, qua de causa regis nomen reticuit Plutarchus aut quo iure excerptor fabulam ad Syracusanum retulit? Nihil lucramur fonte illo communi posito. Iuvat nos nisi fallor ad nodum solvendum narratio Tulliana (Tuscul. disp. V, 98), quam fere eandem apud Stobaeum (flor. 29, 100) invenimus. Cicero enim '*Dionysium tyrannum*' tradit cum apud Spartiatas cenavisset, iure nigro non delectatum esse: *Tum is qui illa coxerat: Minime mirum, condimenta enim defuerunt. Quae tandem? inquit ille. Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.* Dissentit a Tullio consentitque simul cum 'instituto' et Plutarcho Stobaeus in eo tantum quod a rege coquum illum emptum esse narrat. — Quae si diligenter reputaverimus, manifestum est notissimam prioribus ante et post Ch. n. saeculis de coquo Lacedaemonio fabulam fuisse, cumque pleraque fama Dionysium cum coquo illo rem habuisse ferret, in Plutarchi fonte sermonem fuisse de Pontico aliquo rege. Hunc incertum esse noluit collector 'institutorum', qua de causa aut ex vulgari, scholarum fortasse, fama aut e libro aliquo, quo etiam ad augendam Plutarchi narrationem usus esse potest, Dionysium notum regem Plutarchi verbis intrusit.

---

1) Procul dubio primitus fuerat haec fabula de Dionysio illo quem Heracleae urbis Ponticae tyrannum fuisse Wilamowitzius me docuit, homine gulae dedito (cf. Diod. XVI, 88, XX, 77. Nymphis ap. Athen. XII, 549 b). Sed iamdudum ante Plutarchum ita degeneraverat fabula, ut alii (fons Plutarchi) eam de incerto aliquo rege Pontico alii de Dionysio Syracusanorum tyranno narrarent. Nam quamquam Cicero nihil nisi nomen atque dignitatem exhibet, tamen eum et ipsum de Syracusano cogitavisse optimo iure nobis videmur asseverare. Plutarchus autem vix τινὰ τῶν Ποντικῶν βασιλέων dixisset, nisi nomen illius ignorasset. — Ceterum emendanda sunt verba anonymi: Plutarcho duce scribemus — ὥστε μὴ κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους παραχωρεῖν δὲ τοῖς νεανίσκοις atque sub fine legendum: — γυμνασάμενον Λακωνικῶς <καὶ> τῷ Εὐρώτᾳ λελουμένον.

Tertium 'institutorum' caput plane concinit cum Plutarchi verbis ea de quibus modo diximus statim excipientibus (12 extr.), neque quidquam excerptor adiecit nisi ἐν τοῖς συσσιτίοις, id quod iam in primo capite animadvertimus. De eadem re verba facit Xenopho (de rep. Lac. V, 7), Lacedaemoniosque vino non indulsisse omninoque compotationibus abstinuisse testis est Plato (de leg. I. p. 637 A) auctorque Minois (p. 320 A).

Ea quae in capite 4 et 5 de Lacedaemoniorum educatione veste corporumque habitu narrantur, desumpta sunt ex Plutarchi vita Lyc. 16, nullis nisi lenissimis mutationibus factis. Verba vero capitis 4 τῶν δὲ ἄλλων παιδευμάτων ξενηλασίαν ἐποιοῦντο perperam a compilatore ex Plut. vit. Lyc. 9 μετὰ δὲ τοῦτο τῶν ἀχρήστων καὶ περισσῶν ἐποιεῖτο τεχνῶν ξενηλασίαν esse hausta mihi videntur, quia non recte eorum sensum perspexerat. Nam cum Plutarchum verba facere de fabrorum artificumque inutilibus et luxuriae inservientibus artibus plane in propatulo sit, propter ea quae proxime ab illis verbis leguntur, noster de artibus liberalibus ea dicta esse putabat, quod ut magis perspicuum fieret, pro τεχνῶν voce παιδευμάτων usus est. Verba autem οὐ μᾶλλον ἀνθρώπων ἢ λόγων quibus quodammodo artem rhetoricam [1]) affectat ut adderet, adductus est fine capitis vit. Lyc. 27, quem locum ab eo adhibitum esse infra (cpp. 19, 20) patefiet. — Atque etiam in cap. 5 compilatoris studium Plutarchi verba cum ipsi videatur in breviorem dicendi formam constringendi apparet. Quae enim is enuntiato πλὴν ὀλίγας ἡμέρας τινὰς τοῦ ἐνιαυτοῦ τῆς τοιαύτης φιλανθρωπίας μετεῖχον tradiderat, ille aliquanto incertius tribus his verbis κατὰ τὸ πλεῖστον inesse voluit [2]).

Cap. 6 ad verbum cum fine capitis vitae decimi sexti convenit praeter verba οἱ νέοι, quae ibi propter sententiarum nexum abesse debebant.

Iam vero a capite 6 statim nos convertamus ad caput 12, cuius verba plane eadem legimus in Plut. vit. Lyc. 17. — Iuvenes Spartiatas furandi quasi artem exercuisse permulti nobilissimique testes tradunt, quos collegit Trieberus (l. c. p. 23/24). Poenam vero nullam pueris in furando deprehensis impositam fuisse nisi verbera quamquam Isocrates de pecunia eis solvenda (Panath. 212: ἐν ᾗ (scil. ἐν τῇ κλωπείᾳ τῶν ἐν τοῖς ἀγροῖς κατοικούντων) συμβαίνει τοὺς μὲν ληφθέντας ἀργύριον ἀποτίνειν καὶ πληγὰς λαμβάνειν) atque Plutarchus de

1) Eadem ratione interpretanda sunt verba ἢ ἀποθνῄσκειν, in quae idem caput exit. Frustra ea quaesiveris in Plutarcho. —

2) Hic locus etiam argumento esse potest contra eos, qui a Plutarcho 'instituta Laconica' excripta esse affirmant.

fame eis sustentanda facit verba, ille ceterorum testium silentio motus asseverat, qua de causa Isocratis Plutarchique narrationem nihili facit. Iniuria, opinor. Eum enim qui in furando deprehenditur, consentaneum est ei a quo quid furatus est reddere debere, quod ceperit, aut si id fieri iam non potest, pecunia furtum luere. Itaque id quod in Isocratis verbis est, diserte affirmari ab aliis quoque testibus minime opus erat, quippe quod per se pateret. Quod vero Plutarchus addidit καὶ τὸ πεινῆν, id aptissime ex ipso Plutarcho interpretabimur. Cum enim cena eorum admodum parca atque exilis esset (l. s. c. γλίσχρον γάρ αὐτοῖς ἐστι δεῖπνον, ὅπως δι' αὐτῶν ἀμυνόμενοι τὴν ἔνδειαν ἀναγκάζωνται τολμᾶν καὶ πανουργεῖν), fame impellebantur, ut etiam cibum furarentur. Hac autem in re si deprehendebantur, non modo vapulabant, sed cibo quem arte sua nacti erant rursus privatis maior etiam fames toleranda eis erat. Non erat igitur, cur Trieberus Isocratis et Plutarchi verba quasi incredibile aliquid traderent respui vellet.

Cap. 14 totum pendet e Plutarcho (l. c. 21), id quod diutius non potest addubitari postquam Plutarcheam narrationem ita contractam esse animadvertimus, ut sententia turpiter sit deformata. Iuxta sunt loci illi legendi:

Plut. l. l.	Inst. 14.
ἡ δὲ περὶ τὰς ᾠδὰς καὶ τὰ μέλη παίδευσις οὐχ ἧττον ἐσπουδάζετο τῆς ἐν τοῖς λόγοις εὐζηλίας καὶ καθαριότητος, ἀλλὰ καὶ τὰ μέλη κέντρον εἶχεν ἐγερτικὸν θυμοῦ κτέ.	'Εσπούδαζον δὲ καὶ περὶ τὰ μέλη καὶ τὰς ᾠδὰς οὐδὲν ἧττον· κέντρον δ' εἶχε ταῦτα ἐγερτικὸν θυμοῦ κτέ.

Compilator quamquam verba τῆς ἐν τοῖς λόγοις εὐζηλίας καὶ καθαριότητος omitti volebat, tamen 'οὐδὲν ἧττον' quod ut intellegatur necessario illa verba requiruntur, una cum reliquis ex Plutarcho deprompsit.

Neque aliter res se habere videtur in capite 15 cum Plutarchi vit. Lyc. cap. 21 comparando. Certe mirum in modum eadem verba quae hoc loco legimus altero recurrunt. Una tamen causa obstat quin simpliciter cap. 15 ex Plutarcho fluxisse statuamus. Canticum enim a viris maturae aetatis recitatum Plutarchus habet: Ἄμμες δέ γ' εἰμὲς· αἰ δὲ λῇς πεῖραν λαβέ, compilator vero Ἄμμες δέ γ' εἰμὲς· αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο. Iam per se patet, ab anonymo id non inde posse haustum esse, si quidem Plutarchi libris manu scriptis fides est habenda. Itaque altius rem repetamus.

Carolus Schmidt dissertatione sua iam supra (p. 6) commemorata demonstravit Lacedaemoniorum ἀποφθέγματα quae in regum et ducum facete dictorum collectione reperiuntur, fere omnes ad alteram col-

lectionem cui inscribitur titulus ἀποφθέγματα Λακωνικά redire, cum reliquorum apophthegmatum fons primarius essent Plutarchi et vitae parallelae et scripta quae vocantur moralia. Idem evicit ἀποφθέγματα Λακωνικά, a quibus 'instituta Laconica' non recte tamquam proprius libellus cum eis non cohaerens secluduntur, magnam partem ex Plutarchi vitis esse conflata. Nonne iam conieceris in eis quoque lectionis omnium a Plutarcho scriptorum vestigia comparere? At sicut illud Schmidtio probatum verum est, ita nullum in ἀπτ. Laconicis locum mihi contigit ut indagarem, quem iure ad scripta moralia tamquam fontem revocare possis. Quocirca nihil nos iuvat locus a Wyttenbachio adlatus Plutarchi (de se ips. citr. inv. laud. p. 544 E). Ubi quamquam in versu viris canendo αὐγάσδεο vox extat idque ad nostrum caput multum facere credat quispiam tamen ineptum esset propter hoc unum vocabulum ceteris omnibus rebus totaque narratione qualis illo loco est obstrepentibus iactare nos fontem capitis institutorum decimi quinti invenisse.

Itaque alia via qua ad huius et fortasse si dis placet etiam Plutarchei loci fontem ducamur, circumspicienda est. Qua in re pergratum nobis accidit, ut versus illi ignoti alicuius poetae in tot hominum ore fuerint, ut in proverbiorum collectiones reciperentur. Itaque cum compluribus in corpore paroemiographorum a Schneidewino et Leutschio condito locis hos versus vel initium certe inveniamus, quam maxime nostra interesse debet, ut si fieri potest adagii formam, qualem Zenobius ipse habuerit restituamus. Qua in re magnopere iuvamur Ottonis Crusii analectis criticis in paroemiographos Graecos anno huius saeculi 83 Lipsiae editis, qui summa diligentia optimoque successu in proverbiorum collectionum quae ex Zenobii opere fluxerunt, fata inquisivit viamque ad genuinum Zenobium cognoscendum disertis verbis discripsit. Iam igitur eam ingrediamur ab Athoa collectionis recensione, quam E. Millerus (Mélanges de littérature grecque, p. 341 sqq.) nuper publici iuris fecit proficiscentes. Haec autem in ea legimus: Ἄμμες πότ' ἦμες· Λακωνική ἐστιν αὕτη ἡ παροιμία. Μέμνηται δὲ αὐτῆς Σωσίβιος ἐν τῷ περὶ Ἐθῶν, καί φησιν, ὅτι οἱ πρεσβύτεροι ἐν Λακεδαίμονι (sic codd. volg. πρεσβύτ. οἱ Λακεδαιμόνιοι M) χορεύοντες τοῦτο ἐπέλεγον· Ἄμμες πότ' ἦμες <ἀντὶ τοῦ Ἡμεῖς ποτε ἦμεν addunt codd. volg.>. Quae cum dimidium tantum unius versus exhibeant, in hac quam instituimus quaestione nihil nos possunt docere, quamquam Sosibio teste a paroemiographo vel ab eo quem excripsit citato quantum lucremur vix dici potest. At cum alia auxilia petenda sint, age evolvamus proverbiorum collectionem Pseudodiogenianam atque qui hac usus est Apostolii (cf. Crusius l. c. p. 40 sq.). Qui quae habent tota subiciam:

Apost. II, 72.	Pseudodiog. II, 30.
Ἄμμες πότ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι Λακωνικὴ ἡ παραβολὴ ἀντὶ τοῦ ἡμεῖς ποτ' ἦμεν. Τριῶν γὰρ χορῶν ὄντων κατὰ τὰς τρεῖς ἡλικίας καὶ συνισταμένων ἐν ταῖς ἑορταῖς ὁ μὲν τῶν γερόντων τοῦτ' ἔλεγεν· ὁ δὲ τῶν νεωτέρων καὶ ἀκμαζόντων· Ἄμμες δέ γ' ἐσμὲν· αἰ δὲ λῇς, πεῖραν λαβέ. ὁ δὲ τῶν νηπίων καὶ οὔπω ἀκμαζόντων· Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάῤῥονες.	Ἄμμες πότ' ἦμεν· Λακωνικὴ παραβολὴ ἀντὶ τοῦ ἡμεῖς ποτ' ἦμεν. Τριῶν γὰρ χορῶν ὄντων ὁ μὲν τῶν παλαιῶν τοῦτ' ἔλεγεν. Ὁ δὲ τῶν νεωτέρων καὶ ἀκμαζόντων· Ἄμμες δὲ γ' εἰμὲς αἰ δὲ λῇς, αὐγάσδεο. ὁ δὲ τῶν νηπίων καὶ οὔπω ἀκμαζόντων· Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάῤῥονες.

Manifestum neque ulli dubitationi obnoxium est, ex Pseudodiogeniano pendere Apostolium. At tamen habet plura. Unde cognitum habebat senum virorum puerorum choros non nisi dies festus agebatur sese congregasse canticis illis sibi responsuros, senumque prima verba fuisse? Et si haec facile coniectura potuit assequi, nonne plane incredibile est eum in his rebus a Pseudodiogeniano alienis enarrandis in ipsa Plutarchi verba fortuito incidisse? Ultro deducimur eo, ut haec ex ipso Plutarcho in Diogeniani verba quae Apostolius depinxerat, inculcata esse statuamus, cuius sententiae documentum haud levidense inde accedit, quod adhuc in codice satis probo Vratislaviensi R αὐγᾶς δύο (ex Diogeniani αὐγάσδεο corruptum) extat. Valde autem lugendum est, codices Apostolii nondum satis accurate examinatos esse. Nam si Leutschio sive potius eius auctoribus fides habenda est nihil ad hunc locum de codicis D scriptura adnotantibus, certum est Apostolium ipsum Plutarchi verbis Pseudodiogenianum auxisse lectionemque πεῖραν λαβέ pro αὐγάσδεο sibi fortasse obscuriore inde repetivisse. Quae cum ita sint, abiciatur plane Apostolius. Id tantum Pseudodiogeniani excerptis proficimus, ut apud Zenobium et sermonem fuisse affirmemus praeter ea, quae recensione Athoa traduntur, de tribus illis choris ex pueris viris senibus constitutis, et extitisse plenos singulos singulorum versus ita quidem, ut in altero αὐγάσδεο non πεῖραν λαβέ legeretur.

Haec igitur magnopere infringant necesse est Plutarcheae πεῖραν λαβέ lectionis auctoritatem, nisi aliunde possit ei adminiculum aliquod afferri. Sed est tale. Habemus amplum scholion ad Platonis de legibus librum primum voci ξυσσίτια (p. 633 A) adscriptum, in quo postquam accuratissime Lacedaemoniorum cenandi consuetudo descripta est suffragiumque illud memorabile, quo quis in cenantium sodalitatem recipiebatur, verbis adlatis quibus maximus natu novum contubernalem introducebat (cf. supra p. 8), pauca de cibis ab eis qui

in venatione aut in sacris faciundis erant offerendis adduntur. Sequuntur haec: ἦσαν δὲ χοροὶ τρεῖς παρὰ Λάκωσι, νέων, ἀνδρῶν, πρεσβυτῶν, καὶ ᾖδον οἱ μὲν γέροντες· Ἡμεῖς ποτ' ἦμεν ἄλκιμοι νεανίαι, οἱ δὲ νεανίσκοι· Ἡμεῖς δέ γ' ἐσμέν· ἢν δὲ λῇς πεῖραν λαβέ. ὁ τῶν παίδων δὲ· Ἡμεῖς δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κρείσσονες. Ecce ipsos de quibus quaerimus versus atque hic quoque lectionem πεῖραν λαβέ non αὐγάσδεο servatam. Qua antequam uti possimus, quaeramus necesse est, quid de auctore totius scholii sit investigandum. Iam de Platonis scholiorum fontibus nuperrime post Mettauerum (dissert. Turic. 1876) egregiam scripsit commentationem Leopoldus Cohn (in supplemento XIII. annalium philol.), qui felicissime me quidem arbitro contra illum evicit, scholia Platonica satis longa temporum serie a multis auctoribus diversissimisque fontibus adhibitis ad id demum corpus aucta esse quod nunc tenemus. Sed neuter de hoc scholio verba fecit, quare nos ipsi quid rei sit videamus.

Ac primum in propatulo est de scholio quod vocaveris grammatico non esse cogitandum. Non enim explicatio vocis ξυσσίτια est adscripta sed descriptio potius instituti alicuius veteris Laconici. Eadem vero de causa ne paroemiographus quidem velut Lucillus Tarrhaeus, cui permulta de proverbiis a scholiasta Platonico adlata Warncrossius (de paroemiographis capita duo. diss. Gryphisw. 1881), omnia suo iure Cohnius vindicavit, auctor esse potest, quippe cum nec vola nec vestigium adsit in scholio, quod hos versus iam tum in volgi os abiisse patefaciat. Itaque dubitari omnino non poterit — id quod quisquis hoc scholion perlegerit suspicaturum esse arbitror — quin ex historico fonte totus locus in scholia manaverit. Age igitur investigemus auctorem illum historicum. Atque non absonum mihi videatur si quis Plutarchum huius scholii auctorem se deprehendisse pronuntiet. Revera enim omnia quae refert scholiasta, leguntur etiam in cenae communis expositione, quae extat apud Plutarchum (vit. Lyc. 12). At tamen tribus potissimum argumentis prohibeor, quominus ad Plutarchum scholion illud revocem. Primum enim cum deni homines secundum scholiastam uni tabulae accumberent, Plutarcho teste deni quini viri cenae contubernium inierunt, vel non multo minores pluresve. Deinde vero in tributo, quod singulis in communem usum afferendum erat, scholiasta refert φοίνικας, fructum nescio cuius arboris — nam de palmae fructibus in Lacedaemone non est cogitandum [1]) — a Plutarcho omissum, qui contra rectius dicit de ficubus


1) At in Messenia palmae hodie extant feraces frugum sane exilium. cf. Neumann et Partsch, Physicalische Geographie von Griechenland. Breslau 1885. p. 411 sq. et Hehn, Kulturpflanzen und Haustiere⁴ 1883 p. 218.

quae desunt in scholio[1]). Denique vero — id quod plurimum valet — totus ordo narrationis plane alius est apud scholiastam atque apud Plutarchum, neque hercle scio an rei ipsi accommodatior sit in scholio. Sed hoc mittamus. Constat opinor ex eis quae exposui, Plutarchum non esse scholiastae auctorem.

Iam cum Plutarchus nobis sit de medio sublatus, in tanto grege scriptorum, qui de rebus Laconicis inde a saeculo quarto ineunte libros condiderunt, quorum aut frustula tantum tenemus aut nihil nisi titulus servatus est, ne prorsus incassum quaeramus, age reminiscamur excerpti Zenobiani, quod ex codice Athoo in lucem prodiit (cf. p. 12). Videsne ibi disertis verbis Didymum vel Lucillum Tarrhaeum, auctores Zenobii — utrius ex libro Zenobius hoc adagium habeat, diiudicare nequeo, quamvis Didymus mihi praeplaceat — testes extare Sosibium ἐν τῷ περὶ Ἐθῶν mentionem fecisse canticorum, quibus senes viri pueri inter se certaverunt. Constat autem Sosibium Laconem, qui tertio ante Ch. n. saeculo Alexandriae inter Ptolemaei II. familiares fuit, opera nonnulla ad historiam spectantia composuisse, inter quae imprimis est referenda eius χρόνων ἀναγραφή. Sed aliquantum plura fragmenta Athenaeus aliique scriptores servaverunt ex eius libro περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν excripta, quibus iusto iure Carolus Müller (Fragm. Hist. Graec. II) Plutarchi in vita Lycurgi (25) ad eum provocantis locum inseruit. Sane quidem opus περὶ ἐθῶν ab eo compositum esse quantum scio hoc uno Zenobii loco docemur; cum vero haec verba vix dubitationi possint esse obnoxia, statuendum nobis non sine probabilitatis specie erit, libros περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν fuisse partem operis περὶ ἐθῶν scil. Lacedaemoniorum conscripti. Titulum autem illius περὶ ἐθῶν libri non saepius inveniri apud veteres non est quod admodum miremur. Nam et ex consuetudine aliqua veteres — id quod satis dolemus — saepissime auctorum operumque nomina, quibus usi essent, silentio pressisse omnes novimus, et cum sat multi de vetustis Lacedaemoniorum rebus, non ita de sacris apud eos factis festisque celebratis scripserint, apertum est Sosibii περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν librum posteris magis convenisse ad quem provocarent, quam ceteras eiusdem operis partes, quae de rebus publicis agebant, ad quas cognoscendas multo facilior fortasse aditus apud alios scriptores patebat. Quomodocumque autem haec se habent — fortasse enim Zenobius 'ἐν τῷ περὶ ἐθῶν' scripsit quia alter titulus ei nimis verbosus videbatur — nulla re adversante suadent omnia, ut utamur Sosibii nomine idque sub-

1) Vocis φοίνικας emendatio in σῦκα facienda, quam fortasse Plutarchus nobis videtur suadere, vereor, ne audacior sit quam quae probetur.

scribamus scholio Platonico, toti, inquam, illi ad vocem ξυσσίτια adscripto. Nam si quis dixerit verba tantum inde ab ἦσαν δὲ χοροὶ τρεῖς nullo sententiae vinculo cum eis quae antecedunt cohaerere, ideoque ab alio scholiasta quam qui cenae descriptionem ex alio fonte haustam Platonis verbis adposuerit, ex Sosibio esse adiecta, contra pugnare possum fere supersedere. Pronuntiare enim satis erit tum scholiastae illius stuporem nullo modo posse excusari, qui rem a cenis plane alienam ex auctore reconditiore quam quem ei ad manus fuisse probabile sit, probo scholio adnexuit. Vana haec fuisset ostentatio doctrinae. Immo idem homo Byzantinus, qui ad vocem συσσίτια adnotatione, qua in schola fortasse posset uti, opus esse existimabat, omnia illa adposuisse censendus est, quae nos adnotata nunc legimus. — Verum quidem est verba ἦσαν δὲ κτέ. prorsus supervacanea esse, neque quidquam facere ad cenam. Sed numquid aliud inde concludemus nisi scholiastam iam non usum esse genuino Sosibio, sed excerptis tantum ex eius de Lacedaemoniorum antiquitatibus libro factis atque ita ipsius neglegentia factum esse, ut non solum cenandi consuetudinem sed describendi acri studio abreptus etiam narrationem quae de chori instituto erat et συσσιτίων instituti commemorationem, ut videtur, in excerptis illis excipiebat, ad Platonis locum afferret. Quodsi haec vera disputavi, non est dubium, quin Plutarchus quoque in vitae Lycurgi capite 21, ubi mentionem facit chororum cantus, e Sosibio pendeat [1]); utrum vero integri Plutarchi temporibus eius libri fuerint, an iam in breviorem formam ab excerptore redacti, adhuc disceptare nequeo, quamquam illud mihi veri simile non videtur (cf. infra p. 17). Ecce stemma subiciam instituti Laconici nulla ratione habita, quod illustret, per quos rivulos doctrinam Sosibianam ad nostram aetatem rear manavisse:



Haec omnia quamquam recte mihi videor disseruisse, tamen semper redit eadem quaestio, unde scilicet in hac fontis communione mira illa lectionum discrepantia, quae est in versu viris tributo inter

1) Ad alium Sosibii locum, nempe eum quo de gymnopaediis exposuit, redeunt quae habet Athenaeus (XV p. 678 B.). Nam nulla est causa, cur Wyttenbachii coniecturam probemus. Immo Casaubono, qui τὸ δ' ἐξ ἀρίστου ἀνδρῶν mutat in τὸ δ' ἑξῆς ἀρίστων ἀνδ. assentiendum esse arbitror.

αὐγάσδεο et πεῖραν λαβέ, sit derivanda. Sic enim res se habet: cum paroemiographis facit institutorum Laconicorum auctor in lectione αὐγάσδεο et Plutarchus (de se ips. c. inv. laud. p. 544 E) — Plutarchus (vit. Lyc.) cum scholiasta Platonis in πεῖραν λαβέ. Atque in eo certe non est dubitationi locus concedendus, quin Didymus et paroemiographi genuinam Sosibii scripturam servaverint. Iam quandoquidem inter scholiastam et Sosibium incertum quendam excerptorem posuimus, huic fortasse commutationem vocis obscurioris αὐγάσδεο in πεῖραν λαβέ factam imputabimus. Quod ut re vera faciamus, hac impellimur ratiocinatione: Sosibium versus illos genuina dialecto exhibuisse mihi persuasissimum est: demonstrant enim hoc Plutarchus et paroemiographi. Iam vero scholion illud nullum dorismum quem vocant admisit. Itaque probabile est in fonte eius — sive hunc, id quod ego facio, excerpta Sosibiana appellaveris sive librum nescio quem, qui e Sosibio pependerit — versus illos non modo Dorica dialecto sed etiam Attica expressos fuisse. Contra cave ne Plutarchum quoque eisdem excerptis Sosibianis usum esse putes. Tum enim mirum in modum duplicem unius versus formam contraxisset. Quod si tamen fecisset, quaerentibus nobis, unde auctor 'institutorum' lectionem αὐγάσδεο habuerit, ex eodem illo excerpto eam haustam esse dicendum esset, quia tota eius narratio verborumque ordo praeter hoc unum αὐγάσδεο eadem sunt quae apud Plutarchum. Haberemus igitur ipsum excerptum Sosibianum a duobus auctoribus depictum, cuius verba a Plutarcho atque anonymo religiosissime servata scholiasta Platonis suo iudicio mutavisse censendus esset, neque ita, ut dicere posses in deterius.

Haec ut per se vix veri similia videntur, ita nemo erit qui ita se habere rem sibi possit persuadere, qui sciat Plutarcho hanc versus formam αἰ δὲ λῇς αὐγάσδεο bene cognitam fuisse (cf. mor. p. 544 E). Unde enim hanc noverat? Ex Sosibio opinor lectitato. Itaque rem ita expediemus, ut Plutarcho reddamus genuinam quam in Sosibio invenit lectionem αὐγάσδεο, quod verbum ut iam diximus fere ignotum ut illustraret grammaticus Byzantinus tamquam glossema πεῖραν λαβέ apud excerptorem illum Sosibii repertum adscripsit, unde factum est, ut sensim scribarum incuria prae glossemate veram Plutarchi scripturam ex libris expelleret, praesertim cum multo faciliorem versus sententiam faceret ad intellegendum.

Quae cum ita sint diutius non prohibemur quominus institutorum Laconicorum caput 15 totum ex Plutarcho desumptum esse dicamus. Id vero concludere licet ex nostra disputatione hunc librum non multo post Plutarchum esse compositum, novumque adminiculum adstruximus sententiae, quam Schmidtius (l. c. p. 73) de tempore apo-

phthegmatum Laconicorum collectionis professus est, a qua 'instituta' tamquam proprius libellus non sunt disiungenda. —

Iam pergamus in examinanda singulorum 'institutorum' narrationis auctoritate, atque ordine capitum neglecto agendum est de eis capitibus, quae praeter iam tractata Plutarchi excripti certa vestigia prae se ferunt. Sic igitur non dubitabimus ad Plutarchi vit. Lyc. 27 caput 18 revocare, cuius verba sunt: Τῶν δὲ τάφων ἀνεῖλε τὴν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν ὁ Λυκοῦργος, ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς καὶ πλησίον ἔχειν τὰ μνημεῖα τῶν ἱερῶν συγχωρήσας. Περιεῖλε δὲ καὶ τοὺς μιασμούς· συνθάπτειν δὲ οὐδὲν ἐπέτρεψεν, ἀλλ' ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντας τὸ σῶμα περιστέλλειν κατ' ἴσον ἅπαντας. ἀνεῖλε δὲ καὶ τὰς ἐπιγραφὰς τὰς ἐπὶ τῶν μνημείων, πλὴν τῶν ἐν πολέμῳ πεσόντων, καὶ τὰ πένθη καὶ τοὺς ὀδυρμούς. Nam ut in ceteris omnibus plane congruit cum Plutarcho, ita inepto illo additamento περιεῖλε δὲ καὶ τοὺς μιασμούς quod in medium caput irrepsit, et oratio ceteroquin continua inquinatur neque quidquam docemur. Deinde in fine capitis perspicuum est compilatoris studium Plutarcheam narrationem in brevius contrahendi. Nam praeterquam quod nihil dicit de sacerdotis defunctae tumulo inscriptione adornando, maerorem et planctum *omnino* a Lycurgo esse sublatos refert, Plutarcho obiter inspecto, qui undecim dies luctui fuisse vacandum affirmat. Ac ne hoc quidem loco vereor, ne prosit nobis arbitrari, auctorem aliquem et a Plutarcho et ab excerptore excriptum esse. Qui si esset, necessario eum Plutarcho non parciorem fuisse in his rebus enarrandis crederemus. Itaque excerptor eandem neglegentiam qua ex nostra sententia in Plutarcho describendo fuit, in illum praestitit, neque quidquam inde lucramur.

Ex eodem vitae capite descripta sunt 'instituta' 19 et 20, quod ut unusquisque perspiciat, verba ipsa sufficit adponere. Habent:

Inst. auctor.	Plut. vit. Lyc. 27.
19. Ἀποδημεῖν δὲ οὐκ ἐξῆν αὐτοῖς, ἵνα μὴ ξενικῶν ἐθῶν (ἠθῶν?) καὶ βίων ἀπαιδεύτων μετάσχωσι.	ὅθεν οὐδ' ἀποδημεῖν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις καὶ πλανᾶσθαι ξενικὰ συνάγοντας ἤθη καὶ μιμήματα βίων ἀπαιδεύτων καὶ πολιτευμάτων διαφόρων.
20. Καὶ ξενηλασίας δὲ εἰσηγήσατο, ὅπως οἱ παρεισρέοντες μὴ διδάσκαλοι κακοῦ τινος τοῖς πολίταις ὑπάρχωσιν.	Ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀθροιζομένους ἐπ' οὐδενὶ χρησίμῳ καὶ παρεισρέοντας εἰς τὴν πόλιν ἀπήλαυνεν, οὐχ ὡς Θουκυδίδης φησί, δεδιὼς μὴ τῆς πολιτείας μιμηταὶ γένωνται καὶ πρὸς ἀρετήν τι χρήσιμον ἐκμάθωσιν, ἀλλὰ μᾶλλον ὅπως μὴ διδάσκαλοι κακοῦ τινος ὑπάρξωσιν.

Videsne, quo consilio compilator Thucydidis verba, quibus nihil proficere se existimabat, omiserit? Si vero quis mihi obvertat hoc loco manifestum esse, qua ratione Plutarchus quave excerptor fontem communem adhibuerint, cum Plutarchus eis, quae inde sumpsit iudicium a Thucydide de re narrata latum ex memoria sua addat, excerptor autem fontem solum curet, quippe qui eruditione admodum mediocri fuerit, hoc argumentum nihil valet. Nam eodem iure affirmaverim, excerptorum quali 'instituta Laconica' debeamus, nihil interesse, quid quisque de re aliqua censuerit, verum eos vestigia eius tantum scriptoris solere anxie premere, quem sequi semel constituerint.

Etiam caput 29 ex Plutarcho videtur haustum esse, qui duobus locis plane inter se consentientibus (vit. Lyc. 28 et Demetr. 1) servos a Spartiatis ad bibendum immodice coactos inebriatosque pueris spectaculum praebuisse refert, quo deterrerentur a vinolentia.

Iam ex eis quae restant certo ad Plutarchum revocanda sunt quae capite 40 legimus usque ad verba τὴν ἄνωθεν ἱσταμένην. Deprompta enim sunt ex vita Lycurgi 24, ubi prorsus eadem est narratio, si quidem tacere licet de lenissimis verborum mutationibus factis, indignis profecto, quae commemorentur. At desunt apud Plutarchum extrema: ἐπάρατον δ' ἦν πλειόνός τινα μισθῶσαι, ἵνα ἐκεῖνοι μὲν κερδαίνοντες ἡδέως ὑπηρετῶσιν, οὗτοι δὲ μὴ πλέον ἐπιζητῶσι. In quibus verbum μισθῶσαι non satis apte esse usurpatum recte monuit iam Odofredus Mueller (Die Dorier II² p. 30 adn. 2). Sed erravit ut mihi videtur egregius vir, contra quem me pugnare haud scio an nefas sit, in eo, quod hoc loco confisus re vera Spartiatas popularem qui maius aequo tributum ab helota exigebat esse execratos narrat. Sane quidem G. F. Schoemannus (Antiqu. Gr. I p. 197) ei hac in re est adstipulatus. Verum licet in Spartanorum re publica locus fuerit tali execrationi, tamen haec manifesto e fonte provenerunt, in quo ex eorum more, qui civitatem Lycurgeam qualis re vera fuerit ignorantes eam satis laudari non posse putabant, de Spartanorum institutis disputatum erat — id quod in magna parte Plutarchi vitae Lycurgi accidisse videmus. Itaque fides vix est ultimis huius capitis verbis habenda, quae 'institutorum' auctor etiam ex ingenio suo qualecumque id fuit adicere poterat. Nam cum in Plutarcho suo legisset, partem frumentorum Spartiatis ab helotis deferendam legibus constitutam fuisse, poenam desiderabat eis qui secus essent facturi impositam. Quam quoniam nullam inveniebat, execratione cautum fuisse sibi finxit, ne leges migrarentur. — Quomodocumque autem res se habet, instituti illius testem adibimus Plutarchum. Num poena ista imposita fuerit morem migrantibus, dubitari posse videtur. Sed si quis fidem faciat excerptori de ea disserenti, contra non pugnabo.

Fieri enim potuit, ut ultimum illud enuntiatum ex fonte altero eis adnecteret, quae ex Plutarcho transtulerat.

Nam ea de quibus adhuc disserui ab excerptore ex ipso Plutarcho hausta esse me demonstravisse arbitror. Quae enim aliud poterant suadere, non tantum valere ostendi, ut argumenta in limine huius quam absolvimus disputationis nostrae partis adlata infringant. Itaque in illis nisus capita de quibus dixi, flocci facienda esse nego, quoniam fontem unde manaverunt ipsum etiam manibus tenemus.

Cetera capita [1]) aliam habere originem unusquisque intellegit. Sed nulla quantum video re possumus cogi, ut excerptorem e pluribus duobus fontibus hausisse statuamus, quorum unum (Plutarchum) ipsi adeamus licet, alter adhuc latet. Fortasse poterit indagari, hic fons utrum limpido flumine fluxerit unde cum voluptate atque commodo nostro bibamus an aliena secum duxerit, quae quantopere naturam suam servaverint dici nequeat. Atque auctorem illum ignotum ex Herodoto et Xenophonte nonnulla attulisse supra exposui. Non igitur abstinuit alienis opibus. Itaque nunc agendum est de fide eorum capitum, quae ad certum aliquem auctorem revocari non possunt. Quia autem plerisque necessitudo aliqua cum aliorum scriptorum locis intercedit, maiore confidentia fidem quae sit excerptori habenda examinabimus.

In capite 9 compilatorem admodum lapsum esse, cum duas res satis diversas inter se permisceret, Wyttenbachius adnotavit. Tradit ille: Εἴ τις φωραθείη ἁμαρτάνων, ἔδει τοῦτον βωμόν τινα τῶν ἐν τῇ πόλει κύκλῳ περιϊέναι, ψόγον ᾄδοντα πεποιημένον εἰς ἑαυτόν· ὅπερ ἦν οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐπιπλήττειν αὐτὸν ἑαυτῷ. Verba εἴ τις φωραθείη ἁμαρτάνων de quolibet peccato intellegenda esse patet (cf. cap. 8 ὁ δὲ μὴ ἐπιπλήττων παρόντος αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα, ἔνοχος ἦν τῷ ἴσῳ ἐπιτιμίῳ ὥσπερ καὶ ὁ ἁμαρτών). Poenam quam narrat excerptor ab omnibus qui peccavissent datam esse, Plutarchus (cap. 15) tamquam peculiarem eis impositam fuisse docet, qui caelibes vivere quam rei publicae liberorum procreatione prodesse maluissent. Differunt quidem inter se eo quod Plutarcho teste forum circumeundum erat excerptore de ara aliqua hariolante [2]). Sed hoc exigui est momenti. Utri credamus

1) Peculiaris est ratio capitis 16. Qnod postquam contulisti cum Plutarcho (vit. Lyc. 21), Plutarchea in eo pleraque agnoscis. Amplificavit igitur, inquies, Plutarchum excerptor. Sed cum id in nullo praeter hoc capite possit observari, dubium videtur num recte iudicaveris. Fortasse sic res sese expediet, ut ab excerptore fontem utrumque in uno instituto describendo adhibitum esse dicamus. Idem in capite 13 ab eo commissum esse supra demonstratum est. (cf. Trieber l. c. p. 8).

2) Ara fortasse ob id forum expulit', quia puerorum acerbissimam illam verberationem prope aram Dianae factam esse in scribentis memoria haerebat,

ambigi non potest. Quam igitur puniendi rationem Lacedaemonii in re una admisisse dicebantur, eam ad omnia peccata transtulit sive excerptor sive liber excerptus. Nihil enim refert, utri sit illud imputandum. —

Capite 17 Lacedaemonios quam tenacissimos fuisse artis musicae vetustae Terpandri et Timothei exemplis comprobatur. Ac Terpander quidem dicitur ab ephoris in ius vocatus esse, quia octo chordis, non sicuti mos erat septem, citharam instruxerat. Citharam vero προσεπαττάλευσαν ephori. Cui fabulae ne credamus variae sunt causae. E Philodemo enim Diogenis Babylonii de artis musicae vi argumenta afferente (Philodemi de musica libror. quae ext. ed. Ioh. Kemke p. 18) intellegitur altero ante Ch. n. saeculo Terpandrum eum creditum esse, qui seditionem Lacedaemoniorum sedavisset eosque pestilentia liberavisset. Neque Philodemus ipse (l. c. p. 85—87) de multa aliqua a Terpandro exacta compertum habuisse aliquid videtur. Adde quae dicit Plutarchus in vita Agidis describenda (cap. 10): ἐπεὶ Τέρπανδρόν γε καὶ Θάλητα καὶ Φερεκύδην ξένους ὄντας ὅτι τὰ αὐτὰ τῷ Λυκούργῳ διετέλουν ᾄδοντες καὶ φιλοσοφοῦντες, ἐν Σπάρτῃ τιμηθῆναι διαφερόντως — neque praetermittendum videtur Pausaniam (III 12, 10) ipsam porticum (ἡ καλουμένη Σκιάς) se vidisse hariolari, cui cithara Timothei non Terpandri adfixa fuisset ab ephoris: ἐνταῦθα ἐκρέμασαν Λακεδαιμόνιοι τὴν Τιμοθέου τοῦ Μιλησίου κιθάραν, καταγνόντες, ὅτι χορδαῖς ἑπτὰ ταῖς ἀρχαίαις ἐφεῦρεν ἐν τῇ κιθαρῳδίᾳ δύο (cod. perperam τέσσαρας) χορδάς. — Quae vero excerptor habet de Timotheo Milesio, et similia sunt eis quae Terpandro accidisse dixit, et plane eadem atque quae Plutarchus tradit de Phrynide (de prof. in virt. p. 84 A). Cf. etiam Dion. Chrysost. XXXII 67. Artemon. apud Athen. XIV 636 E. Plut. Agid. 10 et quae Boethius (de mus. I 1) de Timotheo dicit: (*Lacedaemonii*) *quoniam eis Timotheus Milesius super eos quos repererat unum addidit nervum ac multiplicem musicam fecit, exegere de Laconica consultumque de eo factum est.* — Apertum igitur est has res non satis constitisse atque varium in modum fuisse narratas. Sunt videlicet ex talium genere in qualibus id semper solet accidere. Itaque fides ne his quidem ulla est nisi tamquam fictis.

Cap. 22 satis obscurum est. Cum vero apud Heraclidem legamus: Πωλεῖν δὲ γῆν Λακεδαιμονίοις αἰσχρὸν νενόμισται. Τῆς γὰρ ἀρχαίας μοίρας ἀνανέμεσθαι οὐκ ἔξεστι, optimo iure mihi videor contendere extremis verbis πωλεῖν δ' οὐκ ἐξῆν de agris vendendis sermonem fieri (cf. Arist. pol. III 1266 B). Iam si sana sunt quae antecedunt, haec fuit sententia eorum, quorum narrationem exhibet excerptor: Quot iugera singulis Spartiatis lege Lycurgea tributa erant, totidem in possessionem danda esse peregrinis illis constituerat legumlator, qui

omnia munia quae leges a civibus postulabant libenter subiissent. Vacabat igitur ager sat amplus, qui posset inter peregrinos distribui. Hoc singulare est; accedit aliud. Metoeci qui vocantur Spartae non fuerunt, neque quisquam praeter Tisamenum et Hegiam Eleos (Herod. IX 33) peregrinus civitate donatus est Spartana. Quocirca prorsus inaudita sunt, quae '*quidam*' teste excerptore narrabant. Neque tamen lectionem vulgatam veram esse arbitror, immo scribendum est: Ἔνιοι δ' ἔφασαν, ὅτι καὶ τῶν ξένων ὃς ἂν ὑπομείνῃ ταύτην τὴν ἄσκησιν, τῆς πολιτείας κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Λυκούργου μετεῖχε. Τῆς <δ'> ἀρχῆθεν διατεταγμένης μοίρας πωλεῖν οὐκ ἐξῆν. Namque verba ταύτην τὴν ἄσκησιν referenda sunt ad ea quae capite proximo extant τὴν τῶν παίδων ἀγωγήν. Iam vero nota est condicio eorum qui μόθακες vel μόθωνες (cf. infra p. 29) vocabantur. Audiamus Aelianum cuius verba huic 'institutorum' loco simillima[1]) coniecturam meam quam maxime probant (var. hist. XII 43): Ὄνομα δ' ἦν ἄρα τοῦτο (scil. μόθακες) τοῖς τῶν εὐπόρων δούλοις, οὓς συνεξέπεμπον τοῖς υἱοῖς οἱ πατέρες συναγωνιουμένους ἐν τοῖς γυμνασίοις. Ὁ δὲ συγχωρήσας τοῦτο Λυκοῦργος τοῖς ἐμμείνασι τῇ τῶν παίδων ἀγωγῇ πολιτείας Λακωνικῆς μεταλαγχάνει. Fonte eodem uterque usus videtur esse. Sed compilator praeterquam quod res inter se alienissimas uno capite comprehendit, ξένων pro δούλων scripsit mera neglegentia, quippe qui simulatque de civibus actum esset (cap. 21), de peregrinis verba fieri oportere autumaret priusquam servi commemorarentur (cap. 23). Itaque fide hoc quoque caput destitutum est.

Quae capite 26 narrantur, tam exigui sunt momenti ut in eis non commoraturi essemus, nisi apta essent ad compilatoris indolem illustrandam. Vide quae uno capite continentur: Ταῖς εὐχαῖς προστιθέασι τὸ ἀδικεῖσθαι δύνασθαι, εὐχὴ δ' αὐτῶν διδόναι τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ πλέον οὐδέν. Altera pars manifesto pugnat contra priorem. Illa autem maioris est fidei, quia legitur etiam apud Pseudoplatonem (Alcib. II p. 148 C): Τοῦτον μὲν τοίνυν καὶ Λακεδαιμόνιοι ποιητὴν (Ὅμηρον) ἐζηλωκότες, εἴτε καὶ αὐτοὶ οὕτως ἐπεσκεμμένοι ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἑκάστοτε παραπλησίαν εὐχὴν εὔχονται, τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς θεοὺς διδόναι κελεύοντες αὖ σφίσιν αὐτοῖς, πλεῖον δ' οὐδεὶς ἂν ἐκείνων εὐξαμένων ἀκούσειε. Habemus igitur hic quoque auctorem sane nostro 'institutorum' excerptore graviorem.

Cap. 27. Veneris simulacrum Spartae extitisse armis instructum referunt cum alii tum Pausanias in Laconicis (III 15, 11. cf. 23, 1).

---

1) Neque tamen Aelianum ex hoc capite hausisse ausim affirmare, quoniam ξένων pro δούλων quomodo intrudi potuerit, mihi non liquet. Uterque locus redit ad Phylarchum. cf. p. 30 et Wilamowitzium in 'Antigonos von Karystos' p. 303, 16.

Qui cum ingentem Spartae statuarum numerum commemoret, de nulla tamen nisi de Apolline Amyclaeo et Pythaeo (III 10, 8. 11, 9. 19, 2) dicat eam hastam gessisse, quod si, in ceteros deos deasque quadrasset, valde mirum esset ab eo esse neglectum, etiam hac in re enarranda de compilatoris fide actum est.

Quae capite 28 legimus, Lacones opus aliquod suscepturos dicere consuevisse τὰν χεῖρα ποτιφέροντα τὰν τύχαν καλεῖν, ea hinc decerpsit in suam proverbiorum collectionem Apostolius (XV 93), et idem esse τὴν χεῖρα προσφέροντα τὸν θεὸν καλεῖν, quod in Zenobio sub lemmate σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει extat recte monuit Crusius l. c. p. 58. Sed ex peroemiographo aliquo vix crediderim compilatorem id sumpsisse, verum ex descriptione morum Laconicorum aliqua, in qua id quod plerisque hominibus commune erat tamquam Lacedaemoniorum proprium vendebatur. Id igitur hoc capite discimus, Lacedaemoniis quoque in ore fuisse illud adagium.

Quae de Archilocho capite 33 narrantur, plane singularia sunt. Versus quidem alii qnoque scriptores servavere, velut duos priores Strabo (X p. 457 XII p. 549), auctor vitae Arati (primae apud Westermannum p. 52) Aristophanes (in pace 1295), tertium Sextus Empiricus (Pyrrh. hyp. III p. 182). Quartus hoc uno loco extat. At Valerius Maximus (VI 3 ext. 1) refert Lacedaemonios libros Archilochi ex civitate sua exportari iussisse, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrati essent, quae fabula ex illa quam auctor 'institutorum' exhibet, interpretatione efficta esse videtur. Nullo scilicet argumento potuit probari Archilochum ipsum Lacedaemonem venisse. Quam obrem ne nos quidem fidem facere fabulae illi par est. Sapit enim satis Chamaeleontes, qui eiusmodi historiunculas quibus legentes sese magnopere delectarent idoneas fingebant. Quam lepidum fuit poetam qui de scuto in fuga amisso versus pepigerat ad Lacedaemonios τοὺς πολεμικωτάτους ἄνδρας venientem facere! Itaque hoc caput non nisi propter quartum Archilochi versum curabimus.

Sacra pueris puellisque communia Spartae fuisse quod nusquam praeter cap. 34 traditur, vix de omnibus sacris videtur posse intellegi. Publicis vero sacris eodem iure puellas quo pueros interfuisse veri simile est, ut compilatorem fortasse Plutarchum excerpsisse putaveris capite vitae Lycurgi 14 haec referentem: οὐδὲν ἧττον (ὁ Λυκοῦργος) εἴθισε τῶν κόρων τὰς κόρας γυμνάς τε πομπεύειν καὶ πρὸς ἱεροῖς τισιν ὀρχεῖσθαι καὶ ᾄδειν τῶν νέων παρόντων καὶ θεωμένων. Saepius deprehendimus excerptorem studentem ut traditionem vulgarem amplificet (cf. p. 3).

Iam sequuntur capita quattuor, quibus severitas Lacedaemoniorum in hominibus quamvis leviter peccantibus illustretur castigandis.

Aliunde notissimum est, quanta strenuitate Lacedaemonii vetusti in homines luxuriae vel ignaviae obnoxios vindicaverint. Quae vero his capitibus continentur, non prorsus reiecerim. Quamquam non magnus est eorum usus. Neque enim scimus, quis fuerit ille Sciraphidas (potest is esse quem contra Lysandrum detulisse auctor est Theopompus ap. Plut. Lys. 17) vel Cephisopho, neque adhuc inventa est proba interpretatio capitis 37. Sed fortasse erit tempus, quo melius res sit cessura.

Veterum locos qui sunt de puerorum acerbissima verberatione Spartae ad Dianae aram exercita accuratissime collegit Trieber (l. c. p. 23). Quos si cum 'institutorum' capite 39 contulerimus, duas tantum res ab aliis scriptoribus non traditas inveniemus. Primum enim docemur totum diem hac flagellatione esse consumptum, quod si numerus puerorum verberibus affligendorum affatim magnus erat verum esse potest; tum semel tantum singulis annis hoc accidisse. Scholion autem quod est ad Platonis leges I p. 633 B respicientes, quo Dianae antistitae magnas partes in hac re fuisse fertur, illum verberationis diem festum celebratum esse ultro consequimur. Quo probato simul non dubitandum est, quin eam rem excerptor recte tradiderit.

Extrema 'institutorum' capita (41 et 42) cuicui auctori debentur, ad exemplar epilogi composita sunt, quem Xenopho suae Laconicarum rerum publicarum descriptioni addidit (cap. 14). Nam cum artissime inter se cohaereant, non videntur mihi seiunctim esse tractanda. Summa videlicet capitis 42 in eo est ut demonstretur quantopere Lacedaemonii postquam semel de Lycurgi legibus deflexerint, sensim sensimque in deteriorem rei publicae statum sint delapsi, quamquam haud raro etiam cum tota Graecia everteretur, insignia praeclarissimae suae constitutionis documenta dedissent. Itaque factum est ut tandem in Romanorum imperium redigerentur. Capite vero proximo duobus exemplis comprobatur inconstantia Spartanorum in legibus Lycurgeis rite observandis conspicua. Sed quod in fronte capitis 41 posuit excerptor ἀπείρητο δ' αὐτοῖς ναύταις εἶναι καὶ ναυμαχεῖν, hoc verum esse praefracte negabimus, quoniam nullo testimonio lex ista potest confirmari. Quamquam Herodotus Thucydides quisquis praeter eos de rebus quinto ante Ch. n. saeculo gestis scripsit, de hac lege si fuisset eaque migrata tacere non poterant. At Spartanos navigandi artem non temptavisse usque ad belli contra Persas gesti tempora atque inde per annos aliquot intermissam exeunte demum saeculo quinto exercuisse notum est. Compilator igitur de hoc Lacedaemoniorum more tamquam de lege videtur verba fecisse. — In altera autem huius capitis parte exponitur oraculum illud: Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ· ἄλλο δὲ οὐδέν Lysandrumque divitiis ingentibus

in rem publicam inlatis civilis interitus auctorem fuisse affirmat excerptor [1]). Permulti sunt scriptores, qui oraculi illius mentionem fecerunt. Locos adnotavit Wyttenbachius, quibus addas schol. Eurip. Andr. 445 cum Zenobio (II 24) Aristotelis nomen exhibens. Sed peculiaris est doctrina excerptoris, qua oraculum Alcameni et Theopompo regibus responsum esse docemur. Hoc certe memoria dignum est.

Denique capitis 42 etsi in initio Plutarchi verbis usus est compilator (vit. Lyc. 29 sub fin.) posteaque verbis πάνυ βραχέα τινὰ ζώπυρα διασώζοντες τῆς Λυκούργου νομοθεσίας imitatio Platonis (de legg. III 677 B) manifesta est, tamen ignoramus, unde reliqua hauserit. Verum novi continent nihil. Quid vero verba ultima καὶ νῦν ὑπὸ Ῥωμαίοις ἐγένοντο, quae Fluegelium adducebant, ut totum libellum esse scriptum paullo post Corinthum a Mummio deletam contenderet? Quod si verum esset, exigui esset momenti. Nam inde colligeremus, fontem alterum qui supra mihi A audiebat, illis temporibus esse conscriptum, unde cum ceteris hoc quoque enuntiatum compilator in opus suum transtulisset. Sed re vera numquam Spartani dediticii fuerunt Romanorum, semper nomen ac speciem libertatis retinebant. cf. Hertzberg Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Roemer I p. 306—308; Mommsen RG II 47/48; V 236. Res igitur ipsa falsa est. Atqui aliquid inde patet, scilicet nemo hunc in modum disputare poterat, dum Romani rebus Graecorum plane abstinent. Itaque haec a scriptore quolibet scripta esse post Flaminini fere tempora apparet. Sed id nostra nihil interest, quippe qui Plutarcho eum fuisse recentiorem ostenderimus. — Neque vero ex aoristo tempore ἐγένοντο usurpato consequatur necesse est, ut enuntiatum illud perpaucis annis post Achaiam provinciam constitutam sit compositum. Namque excerptorem ipsum balbutire mirum non est, cum in hominibus eius notae purissimum sermonem Graecum quaerere haudquaquam par videatur esse (cf. cap. 8 ὁ δὲ μὴ ἐπιπλήττων παρόντος αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα cap. 40 μισθῶσαι).

Haud procul absumus a fine. Perpauca etiam dicenda sunt de quinque capitibus adhuc neglectis: 8 [2]), 25, 30, 31 [3]), 32. Quibus

1) Ceternm ex eodem fonte, e quo illa compilator hausit, sumpta sunt quae extant apud Pausaniam (IX 32, 10): Λακεδαιμονίων δὲ χρήματα οὐ νομιζόντων κτᾶσθαι κατὰ δή τι μάντευμα ὡς ἡ φιλοχρηματία μόνη γένοιτο ἂν ἀπώλεια τῇ Σπάρτῃ, ὁ δὲ (Λύσανδρος) καὶ χρημάτων πόθον σφίσιν ἐνεποίησεν ἰσχυρόν.

2) Cum his conferas quae Plutarchus (vit. Lyc. 18) habet de amasio et amato: ἐκοινώνουν δ' οἱ ἐρασταὶ τοῖς παισὶν τῆς δόξης ἐπ' ἀμφότερα.

3) Hoc caput si ex Sosibii loco ab Athenaeo XV 674 B servato manavisse putaveris, non refragabor.

quae continentur, licet admodum levidensia sint — excepto fortasse capite 25 de sacris Marti faciundis — tamen cum hoc uno loco sint tradita ac probe cum reliquis Lacedaemoniorum moribus concinant, haec temere non sunt missa facienda. Causa vero cur tragoedias comoediasque respuerint Lacedaemonii, satis inepta mihi videtur, ut fictam eam esse existimem. Nimirum Spartani ingenii non erat talem poesin invenire eave frui delectarique.

Restat ut breviter quae exposui comprehendam. Is qui 'instituta Laconica' conscripsit, fontibus suis neglegenter usus est ac stulte. Ex eis quae narrat magna pars sumpta est ex Plutarchi vita Lycurgi, reliqua redeunt ad librum aliquem περὶ πολιτείας Λακεδαιμονίων, cuius auctor et ipse copias ab aliis (e. g. Herodoto, Xenophonte, Aristotele) paratas adhibuisse nec non opinioni atque ingenio indulsisse videtur. Certe de pluribus duobus fontibus ut cogitemus nulla res suadet. Itaque novi nihil fere docet, cum capitibus nonnullis eum rem aliquam aliunde compertam iusto magis auxisse appareat. Quae vero habet peculiaria, in calce disputationis huius adscripsi, quoniam etiamsi certum arbitrium de eis facere non possumus, cum testimoniis scriptorum qui fide sunt digni de rerum Laconicarum condicione bene coeunt. Quae cum ita sint, in his tantum anonymum Pseudoplutarchum curent, qui res Lacedaemoniorum student cognoscere. Denique quo tempore compilator excerpta illa conflaverit, certis terminis circumscribere non possumus. Sed cum ratione eadem qua apophthegmata Laconica composita sint, atque ab editoribus hanc unam ob causam proprio titulo instructa esse videantur, quia non dicta eis narrantur sed res et instituta Spartanorum exponuntur, nihil prorsus obstare arbitror, quominus ab eodem homine mediocris ingenii et apophthegmata Laconica et instituta composita esse statuamus, h. e. medio fere saeculo altero p. Ch. n. cf. Schmidt. l. c. p. 50 sqq.

Cap. VIII. Ἔθος ἦν καὶ τοὺς νεωτέρους ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἐρωτᾶσθαι, ποῦ πορεύονται καὶ ἐπὶ τί· καὶ τὸν μὴ ἀποκρινόμενον ἢ προφάσεις πλέκοντα ἐπιπλήττειν· ὁ δὲ μὴ ἐπιπλήττων παρόντος αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα, ἔνοχος ἦν τῷ ἴσῳ ἐπιτιμίῳ ὥσπερ καὶ ὁ ἁμαρτών· καὶ ὁ δυσχεραίνων δὲ, εἰ ἐπιτιμῷτο, ἐν μεγάλῳ ὀνείδει ἦν.

Cap. XXV. Ὅταν στρατηγήματι τοὺς πολεμίους νικήσωσι, βοῦν τῷ Ἄρει θύουσιν· ὅταν δ' ἐκ τοῦ φανεροῦ, ἀλεκτρυόνα· ἐθίζοντες τοὺς ἡγουμένους οὐ μόνον πολεμικοὺς ἀλλὰ καὶ στρατηγικοὺς εἶναι.

Cap. XXVIII. Ἐπιλέγουσι δὲ καὶ παροιμιαζόμενοι, τὰν χεῖρα ποτιφέροντα τὰν τύχαν καλεῖν· ὡς δέον ἐπικαλεῖσθαι τοὺς θεοὺς μετὰ τοῦ ἐγχειρεῖν τι καὶ πράττειν, ἄλλως δὲ μή.

Cap. XXX. Ἔθος ἦν αὐτοῖς μηδὲ κόπτειν τὰς αὐλείους θύρας, ἀλλ' ἔξωθεν βοᾶν.

Cap. XXXI. Στλεγγίσιν οὐ σιδηραῖς ἀλλὰ καλαμίναις ἐχρῶντο.

Cap. XXXII. Κωμῳδίας καὶ τραγῳδίας οὐκ ἠκροῶντο, ὅπως μήτε ἐν σπουδῇ μήτε ἐν παιδιᾷ ἀκούωσι τῶν ἀντιλεγόντων τοῖς νόμοις.

Cap. XXXIII. Ἀρχίλοχον τὸν ποιητὴν ἐν Λακεδαίμονι γενόμενον αὐτῆς ὥρας ἐδίωξαν, διότι ἐπέγνωσαν αὐτὸν πεποιηκότα, ὡς κρεῖττόν ἐστιν ἀποβαλεῖν τὰ ὅπλα ἢ ἀποθανεῖν.

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν περὶ θάμνῳ
Ἐντὸς ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων.
— ἀσπὶς ἐκείνη
Ἐρρέτω· ἐξαῦθις κτήσομαι οὐ κακίω.

Cap. XXXV. Σκιραφίδαν ἐζημίωσαν οἱ ἔφοροι, ὅτι ὑπὸ πολλῶν ἠδικεῖτο.

Cap. XXXVI. Σακκοφόρον ἀνεῖλον, διότι παρυφὴν εἰς τὸν σάκκον ἐνέβαλε.

Cap. XXXVII. Τὸν ἐκ τοῦ γυμνασίου νεανίσκον ἐπετίμων, ὅτι τὴν εἰς Πυλαίαν ὁδὸν ἠπίστατο.

Cap. XXXVIII. Κηφισοφῶντα, εἰπόντα περὶ τοῦ τυχόντος δύνασθαι ὅλην τὴν ἡμέραν λέγειν, ἐξέβαλον, φάμενοι τὸν ἀγαθὸν μυθητὰν δεῖν τοῖς πράγμασιν ἴσον τὸν λόγον ἔχειν.

Cap. XXXIX. Οἱ παῖδες παρ' αὐτοῖς ξαινόμενοι μάστιξι δι' ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας Ἀρτέμιδος μέχρι θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν, ἱλαροὶ καὶ γαῦροι, ἁμιλλώμενοι περὶ νίκης πρὸς ἀλλήλους, ὅςτις αὐτῶν ἐπὶ πλέον τε καὶ μᾶλλον καρτερήσειε τυπτόμενος· καὶ ὁ περιγενόμενος, ἐν τοῖς μάλιστα ἐπίδοξός ἐστι. καλεῖται δὲ ἡ ἅμιλλα διαμαστίγωσις. γίνεται δὲ καθ' ἕκαστον ἔτος.

Cap. XL. [vit. Lyc. 24: Ἓν δέ τι τῶν καλῶν καὶ μακαρίων ἐδόκει παρεσκευακέναι τοῖς πολίταις ὁ Λυκοῦργος, ἀφθονίαν σχολῆς. τέχνης μὲν γὰρ ἅψασθαι βαναύσου τὸ παράπαν οὐκ ἔξεστι· χρηματισμοῦ δὲ συναγωγὴν ἔχοντος ἐργώδη καὶ πραγματείας, οὐδ' ὁτιοῦν ἔδει, διὰ τὸ κομιδῇ τὸν πλοῦτον ἄζηλον πεποιηκέναι καὶ ἄτιμον. οἱ δὲ εἵλωτες αὐτοῖς εἰργάζοντο τὴν γῆν, ἀποφέροντες ἀποφορὰν τὴν ἄνωθεν ἱσταμένην.] Ἐπάρατον δ' ἦν πλείονός τινα μισθῶσαι, ἵνα ἐκεῖνοι μὲν κερδαίνοντες ἡδέως ὑπηρετῶσιν· οὗτοι δὲ μὴ πλέον ἐπιζητῶσιν.

Ex cap. XLI. — — χρημάτων συναχθέντων τοῖς Λακεδαιμονίοις οἱ συναγαγόντες θανάτῳ κατεδικάσθησαν· Ἀλκαμένει γὰρ καὶ Θεοπόμπῳ τοῖς βασιλεῦσι χρησμὸς ἐδόθη· Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ· <ἄλλο δὲ οὐδέν>.

II.

De lexicographorum glossis ad res Laconicas pertinentibus.

Quanta fuerit veterum grammaticorum doctrina, etsi magis magisque edocti sumus ex quo scholia in poetas et scriptores antiquos composita atque vocum reconditarum vel dialecticarum collationes probis editionibus in lucem edi coeptae sunt, tamen multum etiam abesse arbitror, ut veram numerisque omnibus absolutam cognitionem nobis possimus comparare, quantum tandem debeamus eorum assiduae diligentiae.

Namque iactura facta librorum a proceribus artis grammaticae scriptorum in lexicis et compendiis, ex quibus praecipue eorum imagines animis nostris posse informari dixi mirum in modum pretiosa cum futilibus permixta sunt. Videlicet post viros eximiam eruditionem indefesso studio adeptos mox increvit inertia atque stupor compilatorum. Ex quo factum est, ut scholia vel lexica perscrutanti semper accurata disquisitione opus sit ut ea quae probae originis sint, ab inutilibus ac saepe commenticiis segreget: his qui confidit, illis qui leviter diffidit, pariter peccant.

Haec quam maxime mihi erunt tenenda inquisituro in glossas Laconicas quae in lexicographorum serae aetatis operibus extant. Ac primum quidem si quaerimus, de quibus lexicis in hac quaestione omnino sit agendum, apparebit in Hesychio Alexandrino nobis versandum esse paene uno, quippe qui longe uberrimas glossographiae copias ex Diogeniani Περιεργοπένησιν depromptas exhibeat. Cui in glossis Laconicis tradendis atque explicandis quae necessitudo intercedat cum reliquis lexicis videamus. Quod si Etymologici Magni ingens volumen adimus, exiguum tantum numerum reperimus glossarum, quae huc faciant: ac pleraeque ultra Hesychium nihil nos docent. Sed tamen sunt, quae si non plane eisdem verbis at certe similibus utroque in lexico legantur. Has igitur perlustremus:

E. M.	Hes.
Ἀγιάδαι· τόπος ἐν Λακεδαιμονίᾳ. καὶ οἱ βασιλεῖς ἀπὸ Ἄγιδος.	Ἀγιάδαι· τόπος ἐν Λακεδαιμονίᾳ. καὶ οἱ βασιλεῖς δὲ οὕτω καλοῦνται ἀπὸ Ἄγιδος.
ἀρπίδες· τὰ ὑποδήματα, ἃ δὴ καὶ κρηπῖδας καλοῦσι. Sequitur ampla dissertatio etymologica.	ἀρπίδες· κρηπῖδες ἢ ὑποδήματα. Λάκωνες.
Κίρρις· εἶδος ἱέρακος (debebat	κίρις· λύχνος, ὄρνεον ἢ Ἄδωνις.

χεῖρις ciris) ὁμοίως δὲ λέγεται παρὰ Κυπρίοις Κίρρις ὁ Ἄδωνις, παρὰ Λάκωσι δὲ ὁ λύχνος. | Λάκωνες.

Ratio, quam uterque grammaticus in explicandis his ternis glossis sequitur, fere eadem est. E^{um} M^{um} quidem plura habet, utriusque vero explicationes etsi in ramis distantibus ex eadem tamen radice natas esse manifestum est. Neque tamen radix est ea, quam detegere cupiamus. Etenim quamquam gratum est discere ex E° M°, quo s. v. κίρις nomen gentis sit referendum, tamen lucernam a Laconibus κίρις esse vocatam, crepidas vero ἀρπίδας magnum intererit illius, qui linguae Laconicae proprietati studet, nihil autem facit ad res ipsas Spartanorum. Quae vero sola huc pertinet glossa primo loco adposita, plenior in Hesychio legitur, ut libenter in hac quoque E° M° careamus.

At extant et in Hesychio et in E° M° glossae, quarum lemmata quidem eadem sunt, explicationes vero paullulum inter se differunt. Quae ab illis, de quibus modo diximus, eam ob causam sunt seiungendae, quia res vel voces, quae explicantur aut narrantur, aliis quoque veterum scriptorum locis praecipue in commentariis, quos scholia vocant, inveniuntur. Itaque complura genera harum glossarum distinguentes primum verba faciemus de glossis in Hesychio atque E° M° servatis, quas easdem in scholiis ad Aristophanem scriptis legimus.

Sunt tres, quarum prima cum etiam ab aliis multis tradatur unde fluxerit accurata indiget disquisitione. Iam vero quae Suidas s. v. μόθων et μόθωνες habet, cum ex scholiis in Aristophanem hausta esse inter homines doctos constet, Photius quoque et Pollux (IV 101) procul nobis sunto, quandoquidem longe uberiores huius vocabuli enarrationes in libris melioris notae habemus. Ex Harpocrationis autem lexico glossam μόθων esse expellendam, rectissime Valckenaerius intellexit. Spuria enim est atque e commentario in Aristophanis Plut. v. 279 scripto translata. Vide quae narrat ad fidem codicis Veneti scholiasta: μόθων· λέγουσιν Ἀθηναίους χειρωσαμένους τοὺς Μόθωνας περιστῆσαι τύχῃ, ὅθεν καὶ Ἀττικοὶ μόθωνες. ἢ ἀπὸ Μόθωνός τινος αἰσχροποιοῦντος καὶ ἀεὶ ἐν τοῖς πότοις ὀρχουμένου. τινὲς δὲ μόθωνα εἶδος εἶναι λέγουσιν αἰσχρᾶς καὶ δουλοπρεποῦς ὀρχήσεως. οἱ δὲ Λάκωνες τοὺς παρατρεφομένους τοῖς ἐλευθέροις παῖδας μόθωνας καλοῦσιν. Ἄλλως· μόθων· φλυαρὸς φορτικὸς ἄτιμος αἰσχρός. (ἢ ἀντὶ τοῦ ἀνόητος. ἄλλοι δὲ λέγουσι δουλοπρεπεῖς, σπερμολόγους addunt codd. deter.) Verum eandem vocis explicationem valde quidem decurtatam atque contractam in Hesychii lexico invenimus: μόθων· εἶδός τι ὀρχήσεως· μόθωνας τοὺς παρατρεφομένους, τοὺς λεγομένους παιδίσκους Λάκωνες. οἱ δὲ τοὺς δουλοπρεπεῖς καὶ σπερμολόγους, neque tamen inde manavisse ea

cogitanda est propter verba τοὺς λεγομένους παιδίσκους a scholiasta aliena. Res igitur ita se habet, ut dicamus fuisse in lexico quodam (Pamphili fortasse) lemma μόθων cum ubera explicatione. Inde et scholion originem duxit et ad Hesychium panni illi devenerunt nescio quot grammaticorum manus ante Hesychium perpessi. Aliud autem frustulum ex eodem ut puto lexico archetypo alio tamen canali deduxit E^um M^um: μόθων, μόθωνος· οὕτω καλοῦσι Λακεδαιμόνιοι τὸν οἰκογενῆ δοῦλον, ὃν οἱ Ἀθηναῖοι οἰκότριβά φασιν. Quae explicatio cum id solum curet, quid μόθων apud Lacedaemonios significaverit, in quaestione nostra ceteris omnibus videtur anteferenda esse. Sed omnino vereor ne sit merum grammaticorum commentum, qui servos una cum Spartiatis pueris educatos μόθωνας esse appellatos narrant. Certe hac sententia vox illa apud neminem veterum praeter scholiastas et lexicographos invenitur, neque loci Aristophanei (plut. 279. equ. 634. 698) ita sunt comparati, ut voci hanc significationem infuisse credere nos oporteat. Id quoque accedit, quod Aristophanes Byzantius in collectione τῶν πολιτικῶν ὀνομάτων ut egerat et de Atheniensium servis qui οἰκότριβες, et de Lacedaemoniorum, qui εἵλωτες nominabantur, ita μόθωνας habuisse non videtur (cf. Miller mélanges de littérature Grecque p. 434. Fresenius de λέξεων Aristophanearum et Sueton. excerptis Byz. p. 127). Verum quo tandem modo inquies fieri potuit, ut ista homines grammatici traderent? Una ratione id potest explicari: ab auctore eo, ad quem redeunt omnes quas habemus vocis μόθων explicationes errore quodam contracta erant, quae in fonte adhibito sub lemmatis duobus (μόθων et μόθαξ) legerat. Haec enim est sors lexicographorum: alter alterius copias depascitur. — Μόθακας autem illud genus hominum Spartanis audivisse certum est: Phylarchus quae fuerit eorum condicio exponit (Athen. VI p. 271): λέγει δὲ περὶ αὐτῶν Φύλαρχος ἐν τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν οὕτως· Εἰσὶ δ' οἱ μόθακες σύντροφοι τῶν Λακεδαιμονίων. Ἕκαστος γὰρ τῶν πολιτικῶν παίδων ὡς ἂν καὶ τὰ ἴδια ἐκποιῶσιν, οἱ μὲν ἕνα, οἱ δὲ δύο, τινὲς δὲ πλείους ποιοῦνται συντρόφους αὐτῶν. Εἰσὶν οὖν οἱ μόθακες ἐλεύθεροι μέν, οὐ μὴν Λακεδαιμόνιοί γε, μετέχουσι δὲ τῆς παιδείας πάσης. Τούτων ἕνα φασὶ γενέσθαι καὶ Λύσανδρον τὸν καταναυμαχήσαντα τοὺς Ἀθηναίους, πολίτην γενόμενον δι' ἀνδραγαθίαν. Post Phylarchum semicivium illorum mentionem fecerunt Plutarchus (vit. Cleom. 8) et Aelianus (var. hist. XII 43). Ac Plutarchus quidem quin id e Phylarcho sumpserit, post Schoemannum (Agis et Cleom. p. XXII) non dubitatur, Aelianum vero eidem quae narrat debere docet comparatio cum Phylarchi fragmento, etiamsi ipse eius historias non adhibuit [1]).

1) Μόθακας Spartae fuisse, quamquam inter nomina politica ab Aristophane

Quae cum ita sint, nos Hesychii eruditionem Laconicam perscrutantes magnum gaudium inde percipiemus, quod ne hanc quidem vocem ab aliis lexicographis omissam neglexit. Habet enim s. v. μόθακες· οἱ ἅμα τρεφόμενοι τοῖς υἱοῖς δοῦλοι παῖδες. —

Dein habemus in Hesychio et in E^{o} M^{o} explicationem vocis σκυτάλη. Paullo ampliores in describendo nos esse oportet:

EM (cod. V).	Hes.
σκυτάλη. πίναξ, δέλτος. ἔθος δὲ Λακεδαιμονίοις χρῆσθαι σκυτάλαις ἀντὶ τῶν γραμματείων. τάσσεται παρὰ τοῖς αὐτοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ παρὰ Ἀττικοῖς ἐπὶ τῆς βακτηρίας. Καὶ σκυταλωτοὶ τρόχοι οἱ ῥαβδωτοί. σκυτάλη δ' ἐστὶν καὶ εἶδος ὄψεως οὕτω καλούμενον καὶ σκυταλίδες καμπῶν εἶδος ὅ ἐστι ζῷόν τι, παρὰ Ἀλεξανδρεῦσι δὲ καὶ εἶδος χαρίδων, καὶ σκεῦός τι ἐν τῇ νηΐ. καὶ σκυταλουμένη, ξύλῳ τυπτομένη.	σκυτάλη Λακωνική· ἐπὶ τῶν ἀγγελιαφόρων τάσσεται. ἔθος γὰρ ἦν ἀρχαῖον τὸ χρήσασθαι ταῖς σκυτάλαις < ἀντὶ Is. Voss. et Pierson. > τῶν παρ' Ἕλλησι γραμματείων καὶ βιβλίων. — σκυτάλαι· βακτηρίαι, καὶ αἱ ἱππικαὶ εἶλαι (ἴλαι Mus.), καὶ ὄφεων εἶδος. φραγέλλια (φλαγ. Mus.) λῶροι πίνακες, ἐφ' οἷς ἡ Δίκη γράφει τὰ τῶν ἀνθρώπων ἁμαρτήματα. ἢ θύλακες δερμάτινοι. σκυταλίδες· εἶδος χαρίδων. σκυταλουμένη· ξύλῳ τυπτομένη.

Quamquam eorum quae exhibui verborum exigua tantum pars ad res Laconicas spectat, tamen tot fuerunt excribenda, quo facilius perspiceretur, quam certa eiusdem originis indicia haec Hesychii et E^{i} M^{i} doctrina prae se ferret. Neque tamen *horum* uterque eodem libro usus esse cogitandus est, verum manifestum est, quantopere is auctor, a quo E^{um} M^{um} suam de σκυτάλη voce doctrinam mutuatum est, pependerit ab Hesychii fonte. Iam cum in eis ipsis, quae pertinent ad Spartanorum institutum, Hesychius uberior sit E^{o} M^{o}, hoc etiam in hac glossa libenter mittemus. Ac ne ea quidem, quae Hesychius habet, magnopere curabimus. Scripta enim sunt ad Aristophanem explicandum. Etenim quamquam hodie in scholiis ad Lysistratae v. 990/1 adpictis longe alia leguntur atque in Hesychio extant, tamen non est dubitandum, quin ad hunc locum spectet glossa, quoniam totum lemma σκυτάλη Λακωνική in lexicon traductum est. Praeterea cum longe melius de Laconica epistolarum dandarum ratione doceamur et a scholiasta Pindari (ol. VI 154) et a scholiasta Thucydidis (I 131) et a scholiasta Aristophanis (av. 1283) et a Pho-

---

collecta non feruntur, Phylarcho teste constat, at Phylarchi demum temporibus. Nam ineptum est credere Callicratidam Gylippum Lysandrum servis patribus natos esse.

tio s. v., qui quae habent, eidem debent fonti, hanc Hesychii glossam nullius pretii aestimabimus.

Paucis etiam agendum est de voce συρμαία, quam non modo Hesychius et E[i] M[i] auctor sed etiam Photius et scholiasta Aristophanis ad versum pacis 1253 interpretatur. Atque Hesychii quidem glossa, id quod saepenumero faciendum est, in duas partes est dividenda, quarum prior est: ἀγών τις ἐν Λακεδαίμονι, ἔπαθλον ἔχων συρμαίαν. ἔστι δὲ βρωμάτιον διὰ στέατος καὶ μέλιτος. Posterior λέγεται δὲ καὶ συρμαϊσμός, καὶ ἔστι πρὸς κάθαρσιν. καὶ πόμα δι' ὕδατος καὶ ἁλῶν num ex Hippocratis loco, qui est p. 805 Foes (K. III p. 186) τὸ δὲ σῶμα ἰσχναίνειν καὶ μᾶλλον, ᾧ ἂν κίνδυνος ἔῃ ἔμπυον τὸ οὖς γενέσθαι. ἄμεινον δὲ καὶ μαλθάξαι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ καὶ εὐήμετος ἔῃ, ἐμέειν ἀπὸ συρμαϊσμοῦ, explicando nata sit, in medio relinquendum esse arbitror. Certe haec non multum distant ab eis, quae aliis locis supra indicatis traduntur. Iam cum a Photio luculentum Herodoti testimonium sit servatum, scholion autem Aristophaneum, quod Didymum auctorem nominat, Herodoti (II 77. 88. 125) ratione habita scriptum esse unusquisque intellegat, nullus dubito Hesychii glossae partem posteriorem ad eundem fontem, dico Didymum et si quem ille adhibuit revocare. Quae vero priore Hesychii glossae parte docemur, nusquam alibi inveniuntur. Haec autem sola cum ad nostram quaestionem aliquid faciant, mittamus E[um] M[um], scholion Aristophaneum, Photium, quoniam quid Spartae συρμαία significet, plane non curant. Itaque hac quoque in re Hesychius ceteros grammaticos doctrina superat, quod qua ratione potuerit, postea demum docere possumus.

Neque hoc iudicium non confirmatur eis, quae s. vv. δείκηλον, δίκηλον vel δεικελισταί[1]) lexicographi et scholiasta Apollonii Rhodii (I 746) tradunt. Neque vero Suidas est respiciendus: multo graviores earundem rerum testes extant E[um] M[um] et scholiasta Apollonii — neque Timaei lexicon Platonicum in quo glossam δίκηλα· μιμήματα εἰκάσματα spuriam esse Ruhnkenius adnotavit. Hesychius autem quinque glossas habet, quae huc faciunt, δείκελον δείκελα (apud Schmidtium δείκηλα) δεικελισταί (apud Schmidtium ex Valckenaeri coniectura δεικηλικταί) bis δίκηλον. In quibus quae cum E[o] M[o] congruunt, quorsum tendant apparet ex Parthenio Apollonio Democrito ab E[i] M auctore allatis, quibus addas Herodotum (II 171). Hesychium autem omnibus uberiorem esse in eis quae res Laconicas tangunt, non opus est demonstrare. E[um] M[um] enim solis verbis δεικελισταί· μιμηταὶ παρὰ Λάκωσιν huc pertinentibus Hesychium aequiparat, atque in scholii Apolloniaci parte posteriore, quae haudquaquam nullius

1) De ratione scribendi has voces infra dicemus.

pretii est aestimanda, desideratur mentio Spartanorum. Quae vero Suidas s. v. δικηλιστῶν habet, prae Athenaei loco (XIV 621) unde Eustathius (comm. in Il. p. 884) sua delibavit, plane sunt contemnenda.

Iam eo pervenimus, ut de singulis quibusdam glossis Hesychio cum E° M° communibus verba sint facienda, qua in re magis quoque apparebit, quanto praestet Hesychius E° M°. Primum enim aliquot glossae inveniuntur, ad quas explicandas quae afferuntur disiungenda sunt in duas partes. Altera tantum spectat ad res Laconicas, altera ad res omnium Graecorum. Exemplum apponam; sub voce βόμβυξ in Hesychio leguntur: στάμνος Λάκωνες. καὶ αὐλοῦ· εἶδος, καὶ ζῷον, ἀφ' οὗ τὰ βομβύκινα ὑφάσματα συντελεῖται. ἔνιοι δὲ βομβύλιον οὕτω λέγουσιν, οἱ δὲ ῥυμὸν ἢ ἦχος βομβυ.. υ. Quid vero E^um^ M^um^? Nihil nisi αὐλοῦ τι εἶδος, καὶ ζῷον, ἀφ' οὗ τὰ βομβύκινα ὑφάσματα, nihil igitur de Laconibus. Aliud etiam exemplum est in promptu. Cum Hesychius s. v. Νηρεύς haec habeat: θαλάσσιος δαίμων, Ἀλκμὰν δὲ καὶ Πόρκον ὀνομάζει, auctor E^i^ M^i^ mera interpretatione contentus huic adnexuit insipidam nominis proprii derivationem. — Neque aliter res se habet in aliis glossis. Saepius videmus Hesychium una cum E₀ M° aliisque doctrinam paullo tritiorem tradere, neque raro ita, ut uberior extet narratio apud ceteros auctores, saepe vero Hesychius solus addit eis quae ab aliis quoque exponuntur, rem ad instituta Laconica pertinentem memoria haud indignam. Sic quae legimus apud Hesychium s. v. Εἰραφιώτης· ὁ Διόνυσος παρὰ τὸ ἐρράφθαι ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός, praeter Suidam exhibet et scholiasta in Dionysium Periegetam 576, qui insuper addit ἢ ἀπὸ πόλεως Εἰραφίας καλουμένης οὕτως, et E^um^ M^um^, in quo et s. v. Εἰραφιώτης (302) et s. v. ἔρεψα (371) varium in modum cognomen Bacchi explicatur. Tamen unus Hesychius alios longe superat verbis, quae glossae explicationi supra adscriptae addidit: Καὶ ἔριφος παρὰ Λάκωσιν. Cum hisce glossam quae mox sequitur: Ἔριφος· ὁ Διόνυσος esse coniungendam dudum homines docti intellexerunt, quibus in ea quoque re assentiendum esse censeo, ut collatis, quae Stephanus Byzantius s. v. Ἀκρώρεια habet deum aliquem apud Metapontinos Eriphii cognomen habuisse, ἐρίφιος in utraque glossa restituamus. cf. Wieseler Philol. X 701 sq.

Plane idem cognoscimus accidisse in glossa Ἐλευσίνια. Qua in glossa cum egregie coeant Harpocratio E^um^ M^um^ Suidas, ita tamen ut Harpocrationis recensio ceteris praestet: Ἐλευσίνια· Ὑπερείδης ἐν τῷ ὑπὲρ Καλλίππου· τοῖς νικῶσι τὰ Ἐλευσίνια ἐδίδοτο ἆθλον. ὠνομάσθη δὲ ἡ πόλις Ἐλευσὶς ἀπὸ Ἐλευσίνου τοῦ Ἑρμοῦ. [ἄλλοι δὲ ἄλλας αἰτίας φασὶ καὶ ἑορτὴν εἶναι μόνον τὰ Ἐλευσίνια], Hesychii verba id certo probant, eum ex fonte ut ab illis prorsus alieno ita singu-

lari eruditione excellenti hausisse; si quidem haec dicit: Ἐλευσίνια· ἀγὼν θυμελικὸς ἀγόμενος Δήμητρι. Παρὰ Λάκωσιν καὶ ἐν Σικελίᾳ τιμᾶται Ἄρτεμις, καὶ Ζεὺς Ἐλευσίνιος παρ' Ἴωσιν [1]).

Hesychii fontem alium fuisse atque E[i] M[i] demonstrari potest etiam in glossa, quae eadem ratione ab utroque explicatur, dico glossam ἐπωπίδες. Quam ut enarret Hesychius nihil habet nisi ἐπίσκοποι, ἀκόλουθοι παρὰ Λακεδαιμονίοις. E[um] M[um] vero paullo pluribus idem dicit: εἰ μὲν δασύνεται, σημαίνει τὴν ἀκόλουθον, εἰ δὲ ψιλοῦται τὴν ἐπίσκοπον διὰ τοὺς ὦπας. Λυκόφρων (1175):

ὦ μῆτερ, ὦ δυσμῆτερ, οὐδὲ σὸν κλέος
ἄπυστον ἔσται, Περσέως δὲ παρθένος
Βριμὼ Τρίμορφος θήσεται σ' ἐπωπίδα
κλαγγαῖσι ταρμύσσουσαν ἐννύχοις βροτούς·

ἐκ τοῦ ἕπω ἐπωπίδες λέγονται αἱ θεραπαινίδες. In quibus quoniam Lycophro citatus animum nostrum advertit, legenda sunt quae dicat scholiasta in versum 1176. Simulatque vero hunc inspeximus hisce vocem explicantem: ἐπωπίδα δὲ, εἰ μὲν δασέως, τὴν ἀκόλουθον, εἰ δὲ ψιλῶς, τὴν ἐπίσκοπον διὰ τὰς ὦπας, dubitationi nullus remanet locus, quin E[i] M[i] auctor hinc sua delibaverit, quae sententia ea re etiam magis confirmatur, quod E[i] M[i] auctor una cum explicatione ipsum lemma quale in scholio fuit in opus suum transtulit. Quod nullo pacto quadrat in Hesychium, quem aliunde sua petivisse documento sunt verba παρὰ Λακεδαιμονίοις.

Atque idem esse censendum de vocis κάνναθρον explicationibus ab Hesychio et E[i] M[i] auctore allatis arbitror Schmidtium tota via errasse ratus. Is enim cum in E[o] M[o] legatur: κάνναθρον· Δίδυμος τὴν πείρινθα <ἐκ ῥίπων add. Cram. anecd. Par. IV p. 64> πλεκομένην λέγει ῥίπινθον καὶ κατὰ ἀντίθεσιν πείρινθον. τοῦτο δὲ ὑπὸ Ξενοφῶντος καλεῖσθαι κάνναθρον, ἐπεὶ καὶ κάνη ἡ ψίαθος. οὕτως Ἐπαφρόδιτος· Ὧρος — fragmentum Didymi hoc loco servatum facile posse augeri eis, quae Hesychius s. v. haberet, autumavit (Didymi Chalcenteri reliquiae p. 76). Iam vero cum E[i] M[i] verba luculenter cum scholio B in Iliadis Ω 190, quod Eustathius descripsit atque etymologia addita auxit, eandem originem habere videantur, Didymi ὑπόμνημα εἰς Ἰλιάδα [2]) quam λέξιν κωμικὴν fontem malim esse, ex quo haec de voce πείρινθος disputatio in scholia ad Iliadem atque inde in E[um] M[um] mana-

---

1) Sic Schmidtius legit. Aliter vero est interpungendum. cf. catalogum.

2) Certe nulla ratione demonstrari potest, Didymum in commentario in Iliadem scripto Polemoni grammatico contradicere non potuisse. — Epaphroditus, E[i] M[i] testis, Didymi doctrina ad Homerum interpretandum usus est. cf. Niese de Stephani Byz. auctoribus p. 34.

verit. Neque tamen vola nec vestigium extat huc etiam esse Hesychii glossam referendam. Immo ut ea quae Hesychius s. v. χάνναθρα tradit, vera atque omnibus numeris perfecta explicatio huius ipsius vocis sunt, ita ea quae habent ex Didymo E^um^ M^um^ et scholiastae Homeri, potissimum vocem πείρινθος quid significet quaque ratione sit nata definiunt, Xenophontem autem alio vocabulo esse usum dignum putant quod notetur.

Denique nullam necessitudinem intercedere Hesychio cum E^i^ M^i^ auctore in eis glossis, quarum lemmata apud utrumque eadem vel simillima inter se sunt, explicationes autem plane discrepant, non est quod moneamus. Exempli gratia adpono glossas utriusque s. v. Αἰγοφάγος· Hesychii: Ἥρα ἐν Σπάρτῃ (codicis scripturam χήρα Heinsius emendavit); E^i^ M^i^: ὁ Ζεὺς ὡς παρὰ Νικάνδρῳ ἐν Θηρευτικοῖς. Cf. etiam Hesychii ἀδώνιον, Ἑλένια cum E^i^ M^i^ ἀδώνεια, ἐλένειον [1]).

Restat etiam, quod ad E^um^ M^um^ attinet, ut de eis glossis Laconicis agam, quas non modo in Hesychio atque in E^o^ M^o^ sed etiam in lexicis rhetoricis quae vocantur invenimus. Sed e re videtur esse, antequam de eis verba faciam, explorare, quae sit condicio earum glossarum, quas Hesychius solus cum lexico Bekkeriano V. communes habet. Quas quamquam non adeo frequentes sunt, tamen duas in classes partiri possumus, quarum una est earum, quae cum in utroque lexico prorsus eaedem legantur, eiusdem originis certa indicia prae se ferunt, altera vero earum, in quibus lexicon Seguerianum ab Hesychio longius recedit. Id vero dicendum est lexicon Bekkeri in glossis Laconicis quae apud Hesychium recurrunt multum Hesychio antecellere.

Sed videamus singula. In priorem classem quam dixi refero quae extant s. v. ἀγαθοεργοί.

BA p. 209.	Hes.
Ἀγ. εἰσὶν οἱ ἐκ τῶν ἱππέων ἐξιόντες <πέντε> ἑκάστου ἔτους, ὡς Ἡρόδοτος. ἢ οἱ τῶν ἀρχόντων ὑπηρέται, ἢ οἱ ἀγαθόν τι εἰργασμένοι.	Ἀγ. οἱ ἐκ τῶν ἱππέων ἐξιόντες πέντε ἑκάστου ἔτους, ὡς Ἡρόδοτος ἱστορεῖ. οὕτω παρὰ Σπαρτιάταις.

Aperte uterque confitetur ex Herodoto (I 67) doctrinam suam fluxisse. — E duobus fontibus, quorum alterum tantum eumque, qui in Hesychio quoque agnoscitur, possumus nuncupare Harpocratione favente, sua delibasse videtur auctor lexici Bekkeriani quinti s. v. ἁρμοστής.

---

1) Huius glossae similis est in Hesychio ἐλένιον. Sed miror editores E^i^ M^i^ emendatione certissima abstinuisse. Μενέλαος casu recto est sensu cassum. E scholio ad Nicandri Theriacon vers. 312 adscripto (ad v. 310 narratio extat E^o^ M^o^ multo praeferenda) scribendum est τοῦ Μενελάου.

BA p. 206 et 211.	Hes.
ἁρμοσταί· οἱ φρούραρχοι τῶν Λακεδαιμονίων παρὰ τὸ ἁρμόζειν τὰς πόλεις τοῖς Λακεδαιμονίοις. ἁρμοστής· παρὰ Λακεδαιμονίοις ἐκαλεῖτο ὁ ἐκπεμπόμενος ἐπιμελητὴς εἰς ὑπήκοον πόλιν, φρούραρχος.	ὁ πεμπόμενος ἐπιμελητὴς εἰς ὑπήκοον πόλιν. (καὶ λίθοι δύο πρὸς τῷ αὐτῷ τῆς φλιᾶς τιθέμενοι ἁρμοστῆρες λέγονται).

Posteriorem Hesychianae glossae partem huc nihil facere unusquisque videt. Fontem autem ab Harpocratione indicari iure me dixisse ipsius verba demonstrent: ἁρμοσταί· οἱ ὑπὸ Λακεδαιμονίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἄρχοντες ἐκπεμπόμενοι, ὡς Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν φησι. Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος. Ceterum ambo quinti lexici Segueriani frusta procul dubio primitus coniuncta ac post demum divulsa esse demonstrat sextum Bekkeri lexicon hisce: ἁρμοσταί· οἱ ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων εἰς τὰς ὑπηκόους πόλεις ἄρχοντες καὶ φρούραρχοι ἐκπεμπόμενοι παρὰ τὸ ἁρμόζειν καὶ καθιστᾶν τὰς ὑπ' αὐτῶν φυλαττομένας πόλεις (p. 445). — Eidem classi adsignanda esse existimo quae sunt s. v. ξανθίζεσθαι. Conferas Hesychii verba cum anonymi lexico:

BA p. 284.	Hes.
ξανθίζεσθαι· τὸ κοσμεῖσθαι τὰς τρίχας. Λάκωνες. Ἀττικοὶ τὸ βάπτεσθαι τὰς τρίχας.	ξανθίζεσθαι· κοσμεῖσθαι τὰς τρίχας ἢ β[λ]άπτεσθαι αὐτάς.

Videsne, quantum anonymus Hesychio praestet? Quod idem patefit in eis, quae ab utroque ad verbum στατοί explicandum afferuntur. Etenim cum Hesychius satis sibi fecisse videatur hisce: στατοί· ἀρχή τις, anonymus Bekkeri uberior est in voce explananda (p. 305): στατῶν· ἄρχοντές εἰσιν παραπλησίαν ἔχοντες τοῖς ἀγαθοεργοῖς ἀρχήν. — Similiter res est comparata in voce βήρηκες. Loci sunt adponendi:

BA p. 226.	Hes.
βήρηκες· μᾶζαι ὀρθαί. οἱ δὲ ἁπλῶς μάζας· <ἄλλοι μάζας> ἐπάνω κέρατα ἐχούσας. Παρὰ Λακεδαιμονίοις δὲ τὴν ἑορτὴν Βηρηκίαν λέγεσθαι, ἐν ᾗ τοῖς θύουσιν προτιθέασι τοὺς βήρηκας.	βήρηκες· μᾶζαι ὀρθαί. οἱ δὲ ἁπλῶς μάζας. ἄλλοι μάζας ἄνωθεν κέρατα ἐχούσας.

Ac primum quidem ea quae uncis inclusi, revera in anonymi verbis excidisse manifestum est. Nemo enim placentis rectis, quae qua forma sint cogitanda nescio, placentas cornibus instructas tamquam rem simplicem potest opponere. Huc accedit, quod Hesychii

verba certam emendationem nobis suggerunt. — Tum vero ut negari nequit verba παρὰ Λακεδαιμονίοις usque ad βήρηκας insignem anonymi doctrinam ostendere; ita persuasissimum habeo priorem huius explicationis partem, quam eisdem verbis in Hesychio legimus, e lexico rhetorico esse desumptam Didymo recentiore. Quod ut tanta fiducia affirmem, faciunt verba Didymi ab Athenaeo servata (IV p. 140 A): διαρρήδην λέγων μάζας ἐν ταῖς κοπίσι παρατίθεσθαι (τοῦτο γὰρ οἱ βάρακες δηλοῦσιν, οὐχὶ τολύπας, ὥς φησι Λυκόφρων, ἢ τὰ προφυράματα τῶν μαζῶν, ὡς Ἐρατοσθένης). Quae si quis aequo animo perpenderit, nullus, opinor, dubitabit, quin sub illis οἱ δὲ, qui anonymo et Hesychio testibus βήρηκας simpliciter μάζας significare dixerunt, ipse Didymus vel potius 'οἱ περὶ Δίδυμον' lateant. Quodsi hanc quoque Hesychii glossam prae anonymi Bekkeriani disputatione nihili facimus, nulla causa est, cur id magno opere doleamus. Nimirum locus Athenaei, de quo modo dixi, docet nos in eis quae Hesychius s. v. βάρακες et βάρ[β]αξ exhibet, inesse Eratosthenis et Lycophronis eruditiones Didymo multo antiquiorum, qui quomodo haec vocabula sint interpretati, licet Didymus eos temeritatis convicerit, scire utique gratum est. cf. Strecker de Lycophrone Euphronio Eratosthene comicorum interpretibus diss. Gryphisw. 1884 p. 31.

Num vero ea, quae ab Hesychio atque anonymo ad vocem στεμματιαῖον adnotantur, ex eodem fonte per canales inter se diversos sint derivanda, dubius haereo. Quae si per se consideraveris, quamquam Hesychii glossa maculam contraxit neque negari potest nos ab anonymo longe accuratiora doceri, tamen dicendum est Hesychium eandem rem verbis satis obscuris neque sine anonymi auxilio intellegendis tradere. Sed cum glossae, quae sunt Σκιρίτης Σταφυλοδρόμοι Στεμματιαῖον Συσσίτια in lexico Segueriano sese in fine litterae Σ excipiant, eadem ratione qua in fine litterae Γ γόργυρον γέροντες γυμνοπαιδία iuxta leguntur, ultro se offert coniectura has voces una cum interpretationibus ab anonymo e lexico esse desumptas, in quo vocabula res Laconicas spectantia separatim a ceteris fuerint collecta. Atque anonymus quidem, cum glossas eas inde repeteret, minime parcus fuit in explicatione et ipsa transferenda, contra in Hesychii lexico neque glossae omnes quas anonymus habet supersunt neque ex eis quae extant explicationes vocum στεμματιαῖον et σταφυλοδρόμοι foedissime mutilatae certum iudicium admittunt[1]). At tamen licet

1) Plane desideratur in Hesychio explicatio vocis συσσίτια, nisi forte contentus eris glossis: σύσσιτον· ἄριστον ἢ τὸν συνεσθίοντά τινι et φιδίτια· συσσίτια. Sed doctrina, quam hausit anonymus e lexico illo, comparet in E° M° et Photio s. v. συσσιτίαι, quamquam his quoque ille praeferatur necesse est. — Neque extat glossa

suspicari Hesychium quoque nonnulla lexico illi, in quo solae res Laconicae tractatae erant, debere; id quod probabilius videbitur postquam de vocibus γυμνοπαιδία et Σκιρίτης actum est. cf. p. 40.

Sunt praeterea nonnulla in Bekkeri lexico quinto, quae cum ad res Laconicas pertineant vel pertinere videantur, in Hesychio frustra quaerimus. Neque tamen est cur in his diutius moremur. Nam de voce ἀπλᾶς iam Henricus Stehfen (de Spartanorum re militari diss. inaug. Gryphiswald. 1881 p. 3/4) recte iudicavit et explicationem vocis βάραθρον e lexico Atticorum scriptorum interpretationi inserviente fluxisse inde mihi consentaneum videtur esse, quod anonymus plerumque cum E° M° et Harpocratione et Suida, qui cum duplicem habeat explicationem, unam ex Harpocratione alteram aliunde fortasse e Photio petivit, concinit, ita tamen ut ceteris sit anteferendus. Accuratius vero fontem indicare non licet.

Ex eis, quae adhuc exposui, intelleximus lexicon Seguerianum meliora nos docere et Hesychio et E° M° in eis vocibus, quarum explicationes etiam in altero utro eorum inveniuntur. Nunc est videndum, quid rei sit in eis vocibus, quas tria illa lexica interpretantur. Ac primum dicendum est de voce Γυμνοπαιδία. Mire verbosus est Hesychius in ea explananda. Quodsi grammaticorum verba iuxta apposuimus:

BA p. 234.	Hes.
Γυμνοπαιδία· ἐν Σπάρτῃ παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾄδοντες ἐχόρευον Ἀπόλλωνι τῷ Καρνείῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ πανήγυριν. E. M. Γυμν. ἑορτὴ Λακεδαιμονίων, ἐν ᾗ παῖδες ᾖδον τῷ Ἀπόλλωνι παιᾶνας γυμνοὶ εἰς τοὺς περὶ Θυρέαν πεσόντας.	Γυμνοπαιδία· ἔνιοι μὲν ἑορτήν φασι Σπαρτιατικήν, ἐν ᾗ τοὺς ἐφήβους κύκλῳ περιθεῖν τὸν ἐν Ἀμυκλαίῳ βωμὸν τύπτοντας ἀλλήλων τὰ νῶτα. ταῦτα δέ ἐστι ψευδῆ. ἐν γὰρ ἀγορᾷ ἑορτάζουσι· πληγαὶ δὲ οὐ γίνονται, ἀλλὰ πρόσοδοι χορῶν γεγυμνωμένων.

E^{um} M^{um} eodem fonte usum esse atque anonymum facile putabimus. Nam quamvis alter habeat Apollinem *Carneum*, alter Spartanos ad Thyream interemptos, tamen singula verba ita sibi respon-

---

Hesychii, quae cum anonymi enarratione vocum γερουσία καὶ γέροντες (p. 227. cf. p. 234) conferatur: ἄρχοντες ἦσαν ἐν Λακεδαίμονι, οἱ ἀπὸ τῆς πρώτης ἡλικίας μέχρι γήρως καλῶς βεβιωκότες τὸν ἀριθμὸν εἴκοσιν ὀκτώ. ἦν δὲ ἡ μεγίστη ἀρχὴ μετὰ τοὺς ἐφόρους ἡ γερουσία. Nam Hesychii γερουσία· πρεσβυτέριον πλῆθος γερόντων pertinet ad sodalicia senum in Asiae urbibus instituta (cf. Mommsen R. G. V p. 326); deinde γερῶα· γερόντια, ἦν γὰρ σύστημα γερόντων aut γερωχία· (cod. γερωνία) γεροντία παρὰ Λάκωσιν [καὶ Λακεδαιμονίοις] καὶ Κρησίν non sunt flocci facienda; quid autem sibi vellet γεροάκται· οἱ δήμαρχοι παρὰ Λάκωσι (cf. Ahrens. de dial. Dor. p. 62) nemo adhuc repperit.

dent, ut in eam opinionem adducamur. Contra Hesychius aliunde sua hausisse potest videri. Quo in discrimine auxilium exoptatissimum fert lexicon a Bekkero primo loco editum: ἐκ τῶν Φρυνίχου τοῦ Ἀραβίου τῆς σοφιστικῆς προπαρασκευῆς, in quo p. 32 haec legimus: Γυμνοπαιδία· ἐν Λακεδαίμονι κατὰ τὴν ἀγορὰν παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾖδον εἰς τιμὴν τῶν περὶ Θυρέας. Quae cum aperte cum E^o M^o ita congruant, ut eundem fontem unusquisque agnoscat, adsunt tamen verba κατὰ τὴν ἀγορὰν, quibus patefit haec esse ad eundem scriptorem revocanda, a quo Hesychius doctrinam suam mutuatus est. Itaque dubitationis ansa fracta est, idque dicendum omnia quae a lexicographis de gymnopaediis narrantur ex uno scriptore esse compilata. Simul vero fateamur oportet hac quidem in re in Hesychio solo nobis non esse acquiescendum, sed eum esse eis, quae reliqui servaverunt, complendum. Quem in finem Timaeus quoque adhibendus est, apud quem extant s. v. Γυμνοπαιδία· χοροὶ ἐν Σπάρτῃ τῆς Λακωνικῆς εἰς θεοὺς ὕμνους ᾄδοντες εἰς τιμὴν τῶν ἐν Θυρέαις (cod. Θυραιαῖς) ἀποθανόντων Σπαρτιατῶν. Verba enim εἰς — Σπαρτιατῶν praestant et E^1 M^1 narrationi εἰς τοὺς περὶ Θυρέαν πεσόντας et Phrynichi εἰς τιμὴν τῶν περὶ Θυρέας.

Subiungo huic glossae aliam, quae unde in lexica devenerit etiamnunc potest demonstrari, dico glossam γαιήοχος. Quae quamquam in Hesychio una est (nam Hesychium s. v. γαιάοχος· ἠπειρώτης et γαιηούχῳ· τῷ τὴν γῆν ὀχοῦντι καὶ συνέχοντι non curabimus), in lexico Segueriano duplex, tamen eodem loco eas provenisse manifestum erit si subiecero:

BA p. 229.	Hes.
γαιήοχος· ἵππιος (cod. ἵππος) ἀπὸ τοῦ τοῖς ὀχήμασι χαίρειν. γαιήοχος· ὁ τὴν γῆν συνέχων ἢ ἐπ' αὐτὴν (scrib. -ῆς) ὀχούμενος.	γαιήοχος· ὁ τὴν γῆν συνέχων, ἢ ἐπὶ τῆς γῆς ὀχούμενος. ἢ ὁ ἱππικὸς ὁ ἐπὶ τοῖς ὀχήμασιν <ἢ> ἅρμασι χαίρων. Λάκωνες.

Unde autem haec sint derivanda, docet scholion in Iliad. N 125 aliquanto uberius in E^o M^o servatum. Nimirum haec omnia e commentario in Homerum scripto esse repetenda probabile duco. Sed quod Hesychius optimo iure verbo Λάκωνες interpretationi adiecto indicat Neptunum Gaeauchum a Lacedaemoniis esse cultum, id ex scriptore melioris notae eum hausisse in propatulo est. Habemus igitur tandem glossam a compluribus grammaticis ex uno fonte derivatam, cuius tamen usum faciemus solum Hesychium amplexi.

Sed paullo aliter res se habet in ceteris huius generis glossis. Ac de μόρα quidem iam Henricus Stehfen (l. c. p. 8) sententiam pronuntiavit, Hesychium eodem fonte usum esse in voce explicanda atque ceteros de quibus agimus. Contra vereor ut idem censendum sit de vocis ἔφοροι explicationibus. Hesychii nulla est, proba atque

eadem lexici Segueriani et E¹M¹. Quae cum ita sint, vehementer dubito, num et quae Hesychius ad vocem Εἵλωτες et quae ad vocem Σκ[ε]ιρίτης interpretandam affert, ad eundem auctorem sint revocanda, e quo E¹M¹ et lexici Segueriani de his vocibus articuli sumpti sunt. Certe nullius pretii sunt quae Hesychius s. v. Εἵλωτες exhibet prae illorum grammaticorum doctrina. Atque s. v. Σκιρίτης Hesychius quamvis sit exilior facit cum Timaei lexico Platonico, cuius ipsa verba apud Suidam quoque licet legere. Ceterum quamquam verba ἦν δὲ Ἀρκαδικός desunt in lexico Segueriano et in E°M°, tamen possis eandem doctrinam, quam apud Hesychium, in eis agnoscere, dummodo eorum verbis οἳ αὐτοὶ καθ' αὑτοὺς ἐστρατεύοντο, καὶ οὐχ ἅμα τοῖς ἄλλοις Λακεδαιμονίοις eandem sententiam subesse statuas quam Hesychii ὁ προκινδυνεύων. Utut autem res est, id certum videtur, etiamsi has quoque glossas ad unum auctorem omnium communem revocamus, huius eruditionem per canales quam diversissimos inter se in Hesychii aliorumque lexica fluxisse.

Absolvimus ea, quae de Bekkeri lexico quinto dicenda fuerunt. Restat ut de necessitudine verba faciamus, quae Hesychio intercedat in glossis aliqua ratione ad res Laconicas spectantibus cum lexicis rhetoricis inferioris quam Seguerianum quintum ordinis. Quarum prima est αἰγίς[1]). Qua sub voce quae in Hesychio in E°M° in Harpocratione in lexico Bachmanniano (BA p. 454) extant, ad Atticistarum scholam Herodotum praeter alios tractantem plerumque esse revocanda docent verba Aelii Dionysii et Pausaniae ab Eustathio (comm. in Il. p. 603) servata. Quamquam autem uberrimum hac in voce explicanda est lexicon Bachmannianum, Hesychium tamen solum curabimus, quippe qui unus diserte exponat, quis quid de significatione vocis αἰγίς apud Spartanos tradiderit[2]). Simili modo demonstrari potest vocis δωριάζειν interpretationem propria via in Hesychii scrinium devenisse. Qua in voce explicanda E¹M¹ auctor Aelii Dionysii, qui sua vice ex scholio eximio versui 934 Hecubae Euripideae adscripto hausisse videtur, Suidas Pausaniae doctrinam pro sua vendidit (cf. Eust. p. 975, 38 sqq.). Quod vero dixi Hesychii vocis interpretationem ab illis distare, ostendere mihi videtur verbum

1) Prior Hesychii glossa αἰγίς, quae est apud Mauricium Schmidt 1723 litterae α, non respicienda est, quia litterarum ordo ea turbatur.

2) Nomen Nymphodori superest apud Harpocrationem, loricam significare posse vocem αἰγίς narrat lexicon Bachmannianum. Rectam autem Carolus Mueller (F. H. G. II p. 381) Herodoti (IV 189) ratione habita coniecturam pronuntiavit: 'Ceterum haec ex eo petita fuerint loco, ubi de Libyum νομίμοις sermo erat'. — Suidas vero alium auctorem in hac voce secutus est. Num suo iure hoc fecerit, discernere non ausim.

χορεύουσαι. Aliud enim est affirmare puellas Laconicas in saltando tantum istum in modum vestitas fuisse, aliud eas per totum diem hac vestimenti ratione uti consuevisse. Itaque contra sese pugnant Hesychius atque Aelius Dionysius vel potius optimum scholion Euripideum, neque litem aliter possumus diiudicare atque rei vestiariae Graecorum periti. Iohannes Boehlau enim (quaest. de re vest. Graec. 1884 p. 79 sqq.) demonstravit omnia, quae lexicographi et scholiastae de virginum Laconicarum veste exponunt, ad Didymum vel Alexandrinum quendam optimae notae grammaticum redire, verbumque χορεύουσαι quod est in Hesychio ineptum esse. Itaque verba Alexandrini illius haec fere fuisse: αἱ γὰρ κατὰ Πελοπόννησον κόραι διημερεύουσιν ἄζωστοι καὶ ἀχίτωνες ἱματίδιον ἔχουσαι πεπορπημένον ἐφ' ἑκατέρου τῶν ὤμων. Atque hanc quidem Boehlauii sententiam, quae sola facit ad nostram quaestionem, comprobavit Franciscus Studniczka ('Beiträge zur Geschichte der altgriechischen Tracht' in commentar. seminarii archaeol. et epigr. Vindobonensis VI 1 p. 8 n. 20). Ceterum lexicographorum explicatio vocis δωριάζειν inserviebat Anacreonti interpretando, cuius verba extant apud Euripidis scholiastam 'Εκδῦσα χιτῶνα δωριάζειν Bergk P. L.[4] fr. 59. Quomodo vero χορεύουσαι in Hesychium irrepserit, non difficile est dictu. Videlicet quicumque δωριάζειν verbo γυμνοῦσθαι vertit, propensus sit ad coniecturam illam faciendam necesse est. Nam puellas Laconicas diem nudas degisse nemo sibi potest persuadere. Itaque hanc coniecturam auctorem Hesychii eum periclitatum esse existimo, qui δωριάζειν idem quod γυμνοῦσθαι significare putabat.

Minoris momenti est id, quod ea quae ad vocem Ἕλος[1]) ab Hesychio E° M° Eustathio (p. 1205, 47) adnotantur, manifesto ad eundem fontem redeunt, neque est cur subtilius de vocis ἐνωμοτία explicationibus quaeramus (cf. Stehfen l. c. p. 8 adn. 11). Neque enim Hesychius sub hac voce dignus est qui laudetur et has e lexicis rhetoricis desumptas esse ostendit verbum 'Ρητορική in E° M°, quocum Timaeus facit, et glossae ἐνωμοτία et ἐνώμοτος adpositum.

Ad finem perduximus hanc disquisitionem de necessitudine instititutam, quae inter Hesychium intercederet et inter reliquos grammaticos in vocibus ad instituta Spartanorum pertinentibus explanandis. Cuius summa hisce est comprehendenda: Glossarum Laconicarum ingens numerus extat in Hesychio, multo pauciores in aliorum grammaticorum lexicis. Sed quas Hesychius una cum omnibus ceteris vel

---

1) Quo iure Mauricius Schmidt ad Corp. Ins. Gr. I 1444 lectores releget, ego equidem non assequor. Nam Hesychii Ἕλος de urbe notissima, non de vico illo suburbano esse intellegendum, si quid aliud, certum mihi videtur.

aliquo ex eis tradit, earum condicio varia est. **Quam singulis glossis** quas adhuc tractavi diligenter examinatis ita accuratius possumus circumscribere, ut statuamus hanc legem: Neque $\mathrm{E^i M^i}$ [1]) neque aliorum lexicorum in eis, quibus res *sacrae* Spartanorum tractantur, prae Hesychio ullus est usus, uno excepto lexico Segueriano quinto, quod in paucis eis glossis, quas exhibet, Hesychium etiam superat. Quae vero instituta publica attinent, in eis, si grammaticorum doctrinam explorare volumus, praestant Hesychio reliqua lexica [2]) tantum non omnia vel scholiastae.

De glossis sacris.

Constat igitur certis et sat multis exemplis demonstratum glossarum ad res Laconicas pertinentium, quae in Hesychio extant frequentissimae, si universas quidem spectamus, quam maxime variam rationem esse habendam. Itaque nunc videamus num fieri possit,

---

1) Tacui de duabus glossis Hesychio cum $\mathrm{E^o M^o}$ communibus, dico βεσόν Hesychii, βέστον $\mathrm{E^i M^i}$ et βουά Hes., βουόα $\mathrm{E^i M^i}$. Atque in priore $\mathrm{E^i M^i}$ verba non sine fructu ab Ahrensio adhibita sunt, ut glossam Hesychii misere *corruptam* sanaret (l. c. p. 46 adn. 12). Praeterea indidem certum testimonium nanciscimur haec ex Diogeniano ab utroque esse adsumpta. Sed est glossa mere dialectica. Altera vero in $\mathrm{E^o M^o}$ tam est lacerata, ut de emendatione paene sit desperandum. Verum licet coniectura Hemsterhusii glossam sic restituentis (ad Hes. II p. 1294 not. 19): βούδα ἀγέλη 'τετάχαθ' αἱ βούδαι ἀντὶ τοῦ βούσοαι κτλ. sit vera, ne ex hac quidem aliquid praeter rem dialecticam discimus.

2) Photium et Suidam nondum plane absolvimus. Sed si quae restant de eis dicenda, digna sunt, quae in adnotatione exulent. Habent quidem nonnullas cum Hesychio glossas Laconicas communes, quas apud alios grammaticos frustra quaerimus. Sed quanto inferior sit Photius Hesychio disces e glossis ἱππάκη Κυνόσουρα Πιτανάτης (Πιτάνη 1. apud Photium) Σελλασία Σέριφος, atque adeo e glossis ad Aristophanis ἡλικιῶν ὀνομασίας revocandis κυρσάνιοι et σκυρθαλιάς (apud Photium κυρσάνια σκυρθάνια), quamquam s. v. κατὰ πρώτειρας Photius diligentior fuit quam Hesychius in describendo. S. v. ξενηλασία Hesychius Thucydidem (I 144, II 39), Photius s. v. ξενηλατεῖν et Hesychius s. v. ξενηλατοῦνται Aristophanem (av. 1013) respiciunt. Λυσάνδρεια vero Samiorum ludos fuisse ex Plutarcho (vit. Lys. 18) libentius ad Hesychii glossam recte interpretandam petimus quam e Photio. Neque quae habet s. v. Καρυάτεια opus sunt ad Hesychii verba intellegenda. — De Suida autem actum erit, si glossas σάνδυξ ἐφίππιον, quas Photius et ipse habet, βωτεῖν (Hes. βοωτεῖν) cum Hesychio contulerimus. Num vero ex verbis καὶ τὰ διαφανῆ Λακωνικά, quae Suidas s. v. διαφανῆ χιτώνια scholio in Aristophanis Lys. v. 45 scripto addit, Hesychii glossa prorsus obscura: δαμοφανής· τὸ ἱμάτιον Λάκωνες corrigenda sit, in medio relinquere satius mihi videtur esse quam in alteram utram partem edicere. — Una glossa Photii, quae inde in Suidae famosam doctrinam delapsa est, ex Alcmanis interpretatione orta fortasse melioris notae est, dico glossam ψιλεύς. Sed pugnat contra Hesychium s. v. ψιλεῖς. Itaque res dubia est.

ut complures, quae in orbem aliquem certis finibus circumscriptum incidere videntur, nostro iure tamquam genus aliquod glossarum inter se cohaerentium quodque non nisi totum consideres complectamur. Atque elegi quidem hunc in finem glossas, quae qualibet ratione ad res sacras Spartanorum pertinent cum propter gratam ubertatem Hesychii in his praestitam tum propterea, quia ex eis quae hucusque disserui apparet, in his [1]) potissimum alia lexica, quae aetatem tulerunt, quam minime in censum venire. Itaque primum quaeramus, quid de dialecto illarum glossarum sit iudicandum.

Quamquam varia obstant quominus haec quaestio ita possit ad liquidum perduci, ut nihil remaneat dubitationis. Praeterquam enim quod multae glossae temporum iniquitate aut scribarum sive inscitia sive socordia tantopere sunt corruptae, ut omnino quid primitus scriptum fuerit dignosci nequeat, complurium glossarum explicationes tam exiles parcaeque verborum sunt, ut nobis cavendum sit ne vocem explicatam nos re vera intellegere reamur. Id enim si nobis semper contingeret, facillime iudicium ferre possemus, quoniam et etymologiae leges et dialecti ipsius, qualem cum a grammaticis tum praecipue inscriptionibus fuisse cognovimus, analogias secuti plerumque certo diceremus, qua vocis forma Dores usi essent. Verum sicuti nunc res est comparata, nullo pacto nobis licet discernere, utrum Lacedaemonii puerorum chorum aliquem ὑαλκάδαι appellaverint an paullo aliter. Id tantum possumus affirmare atque adeo debemus, nullam esse causam cur hoc verbum a dialecto dorica alienum ducamus. Scilicet haerent in memoria verba inscriptionibus Spartanis ipsis tradita, quorum diu a nemine intellectorum interpretationem nuper demum periclitatus est Iohannes Baunack (Mus. Rh. 38 p. 293 sqq.) κασσηρατοριν, μωαν καὶ λωαν (cf. Le Bas-Foucart voyage archéol. en Grèce et en Asie Mineure; inscript. 162 a. j.), quae si in grammaticorum farraginibus aetatem tulissent, quot coniecturis futurum fuisset ut temptarentur! Quae cum ita sint, in hac dissertationis parte id potissimum agam, ut glossas ad sacrificia Spartanorum et ludos, qui ad cultum deorum amplificandum instituti erant, pertinentes quae aperte dialecti Doricae legibus repugnant comprehendam, quo facto rimandum est, utrum primitus ista qualicumque

1) Extat quidem in Hesychio ingens vis glossarum, quibus de institutis publicis Spartanorum doctrina nobis offertur aliunde non comperta. Quarum quae sit condicio quamquam non sine fructu videtur explorari posse, tamen hanc quaestionem instituere nunc supersedeo. Operae pretium est quaerere, num quae vel potius quot ad Aristotelem sint revocandae, quaeve in tempora omnes vel pleraeque quadrent.

forma in grammaticorum melioris aetatis libris fuerint, an vitia illa tempori aut posteriorum neglegentiae sint imputanda.

Notemus igitur voces ἀγητής, Ἀγλαόπης, ἁλιοβόλη, βειέλοπες, βήρηκες, βρυλλιχισταί, βυλλίχης, Βωρθία, γαιήοχος δεικελισταί, Ἐλευσίνια, ἐν δριῶνας, ἐπικρῆναι<α>, Ἑσπερίδων μῆλα, Θοράτης, χαλαβοῦτοι, Συκεατίς, τριήμερος, in quibus variis modis peccatum est contra dialectum. Est enim in plerisque earum η scriptum, ubi α Lacones pronuntiavisse putandi sunt, velut ἀγήτας, βάρακες[1]), βυλλίχας, alia. In his vero non multum offendemus. Nam ut ignoramus, a quot grammaticis plus minusve eruditis glossae illae sint depictae, antequam Hesychius lexico suo intexeret, ita facillime fieri potuit, ut formas ad vulgaris sermonis similitudinem magis magisque accommodarentur. — Γαιήοχος vero non gravabimur retinere, neque Laconicum γαιάϝοχος (cf. Inscr. Gr. antiq. 79) obtrudemus Hesychio. Glossam quidem ipsam esse Homericam, explicationis modo partem ad res Laconicas pertinere par erat. — Aliud autem vitium, quod in nonnullis vocibus supra scriptis conspicitur, positum est in littera β falso addita. Ac Βωρθία quidem glossa, quamquam inscriptionibus compluribus serae aetatis confirmatur, indigna est de qua verba fiant, quippe cum longe melioris notae supersit apud Hesychium Ὀρθία. Restant tamen βειέλοπες et χαλαβοῦτοι. De quibus quid esset iudicandum rectissime docuit Ahrensius (de dial. dor. p. 47 adn. 15 et p. 48 adn. 20), qui glossae corruptae χαλαβοῦτοι feliciter medicatus est scribendo χαλαβοίδια. Nam cum lingua Dorica diutius littera ϝ usa esset quam Ionica atque Attica, homines, qui primi dialecto illi cognoscendae atque explicandae operam navabant, quoniam ipsi digammate quod vocatur carebant, in sua ipsorum lingua litteram consonantem quaesivisse putandi sunt, quae quam proxime ad illius pronuntiationem accederet. Id sibi littera β effecisse videbantur, quo factum est, ut grammatici, qui digamma ipsum ignorabant, singularem Dorum in littera β usurpanda consuetudinem esse affirmarent. Tum vero e studio quodam δωρικώτατα scribendi β saepe falso vocibus additum esse et nonnulla exempla ab Ahrensio collecta et ipsum illud Βωρθία demonstrant.

Deinde voces βρυλλιχισταί atque δεικελισταί supra exhibui. Verba enim huius generis creduntur non in -σταί sed in -κταί terminare. Atque de voce δεικελισταί quidem Plutarchus hoc diserte tradere vide-

1) Neque vero haec glossa deest in Hesychio, qui praeterea glossas cum illa coniungendas habet: βάρ[β]αξ atque βήραξ. Sed cum anonymi Bekkeriani huius vocis explicatio sola mihi sit respicienda, formam βήρηκες in catalogum recipere opus erat. Neque mirum est ab homine Atticista formam Atticam solam tradi, qui si de festo Lacedaemoniorum probe nos docet, id non tam consulto quam quia in ἀντιγράφῳ suo invenit fecisse existimandus est.

tur, quoniam in Agesilai cap. 21 regem inducit Callipidae histrioni respondentem: Ἀλλὰ οὐ σύγε ἐσσὶ Καλλιπίδας ὁ δικηλίκτας; additque οὕτω δὲ Λακεδαιμόνιοι τοὺς μίμους καλοῦσι. Sed quominus in Plutarchi Doricae dialecti cognitione acquiescamus, prohibemur cum tempore quo ipse vixit, tum Sosibii Laconis testimonio, quo utitur Athenaeus (XIV 621 E): ἐκαλοῦντο δὲ οἱ μετιόντες τὴν τοιαύτην παιδιὰν παρὰ τοῖς Λάκωσι δικηλισταί. Rem conficiunt quae Ahrensius (p. 93) exposuit. Genuina igitur dialecti doricae est terminatio -σταί nominum substantivorum, quae a verbis in -ζω desinentibus derivantur. — At in voce δεικελισταί aliisque eiusdem stirpis diutius est commorandum. Scilicet dubium videtur, prima syllaba utrum δει- an δι-, secunda utrum -κη- an -κε- sonuerit. Hasce enim formas invenimus apud Hesychium: δείκελον, δείκελα, δεικελισταί, bis δίκηλον et tertium s. v. στεμματιαῖον, in E°M° δείκελον et δείκηλον, apud scholiastam Apollonii Rhodii (I 746) δίκηλον, quamquam poeta ipse (IV 1672) habet δείκηλα, apud Sosibium Athenaei, quem sequuntnr Eustathius (comm. in Il. p. 884) et Suidas, δικηλισταί, apud Plutarchum δικηλικταί, apud apophthegmatum Laconicorum (Agesil. apophth. 57) auctorem δεικηλίκτας. Ex quibus si quid licet concludere, homines grammatici nisi fallor certam regulam sibi constituerant, ut ubi primam syllabam produxissent altera corriperetur et vice versa. δείκηλον vero cum Iones dixisse Herodotus (II 171) probabile reddat, sponte intellegimus, quo iure poetae hac forma uti potuerint. Utrum autem auctor apophthegmatum eorum exemplo adductus aut quia regulam illam ignorabat, δεικηλίκτας scripserit an δικηλίκτας ab ipso scriptum librariorum culpa in δεικηλίκτας abierit non liquet.

Tres etiam supersunt glossae in catalogo nostro, de quibus singillatim verba faciamus. Ac de Ἐλευσίνια quidem similiter iudicabimus atque de γαιήοχος. Quamquam enim titulo illustrissimo in honorem Damononis lapidi insculpto constat Laconibus certamen illud proprie Ἐλευhόνια audivisse, sicut plerumque s inter duas vocales positum in heta mutabant, admodum levis Hesychii culpa est, quoniam et Atheniensium ferias celeberrimas ab Eleusi oppido nominatas potissimum in animo suo habuisse eum consentaneum est, et sub eadem voce de Iove Eleusinio ab Ionibus culto disputatur. — Verum de voce Συκεατίς quid iudicemus ambigi posse videtur. Hanc glossam inter Laconicas referendam esse documento est fragmentum Sosibii ab Athenaeo (III p. 78 C) descriptum. Sosibius vero συκίτην a Lacedaemoniis Liberum appellatum esse narrat. Quae forma quin se recte habeat, non est quod dubitemus. Dores enim ε aliam vocalem antecedens saepissime in ι deflexisse exempla ab Ahrensio l. c. p. 121, 207 sqq. collecta demonstrant. Si autem συκία ficus ab eis nomina-

batur, recte inde cognomen Libero συκίτης vel potius συκίτας indiderunt. Sed hanc vocis formam sub Hesychiano Συκεατίς latere non potest. Iure ac merito Musurus Συκεατής scribendum esse dixit, aut si plane δωρίζειν volumus Συκεάτας. Quam cognominis Liberi formam secundum linguae leges effectam esse unusquisque videt. Neque arduum arbitror evincere duas quas nacti sumus formas re ipsa non inter se differre. Nam ut Kirchhoffius in Hermae vol. 3 (p. 451) σ in litterae ϑ loco substitutum a scribendi ratione optimae aetatis alienum fuisse ostendit, ita consuetudinem ι illud scribendi pro ε vocali latius propagatam esse temporibus doctrinae grammaticae intellegimus, quandoquidem in multis inscriptionibus ε ante vocalem retentum cognovimus. Itaque Συκεάτας pristinis temporibus cognomen Liberi fuisse quod postmodum in συκίτης abierit censendum arbitror. Veterem autem vocis formam hominem grammaticum propterea in lexicon recipere maluisse quam recentiorem conicio, quia poeta aliquis, fortasse Alcman, ea usus erat.

Denique quae est ἐν δριῶνας, glossam dialecto adversari nostra demum aetate licet pronuntiare. Veteres enim grammaticos a Doribus ἐν pro praepositione εἰς dici persuasum habuisse intellegimus ex legibus dialecti Doricae a Gregorio enarratis (§ 159). cf. Ahrens l. c. p. 359. Itaque Hesychius quidem glossam vere Doricam tradere sibi visus est, nos vero quamquam hac in re eum falsum esse scimus, nihil inde lucramur, in quo nisi de bona huius glossae origine dubitemus. Nam plus semel dictum est magnam Hesychii partem tot grammaticorum manus passam esse antequam Hesychius illorum operam compilaret, ut, licet a primo ex eis voces sicut in usu erant fuerantve scriptae fuerint, unus alterve e posteris eas ad grammaticae de dialectis doctrinae regulas sive veras sive commenticias exegisse putandus sit.

Quod hac de glossa erat dicendum in alias quoque nonnullas quadrat, in quibus primo obtutu videtur dialectus Dorica esse illaesa. Sed ubi accuratius inquisiveris, dialectus est quidem Dorica, verum non qualis fuit optimo rerum Graecarum statu, sed qualis aut temporibus tantum non infimis sonabat aut grammaticorum modo animis informata erat. Velut υ in ου mutatum esse certis testimoniis comprobari nequit. At tamen in Hesychio ut in sat multis glossis mere dialecticis — quas Ahrensius collegit l. c. p. 124 sqq. — ita in duabus, quae huc facere videntur, ου pro υ scriptum invenimus, dico glossam, quam ne Nauckius quidem (Aristoph. Byz. fragm. p. 189) intellegere potuit, βούϑουτον Aristophanis testimonio instructam, atque glossam φουλ <λ Ahrens.> ίδερ, quod est φυλλίδες cf. Welcker Kl. Schr. I p. 170.

Tum vero Hesychius saepius indulsit rhotacismo qui vocatur. De quo quae Ahrensius dicere potuit (l. c. p. 71): 'ea mutatio (consonantis s in r) neque in titulis Laconicis usquam reperitur' nunc non amplius stant; in inscriptionibus enim nonnullis serae aetatis exempla huius mutationis factae legimus (vide Le Bas-Foucart l. c. passim). Hesychii vero glossae quae quidem ad res sacras pertinent, hae sunt rhotacismum expertae: Αἰγλάτηρ, φουλ<λ>ίδερ, ψίλακερ. His haereo num addam Πηρεφόνεια. Ahrensius (l. c. p. 112) quidem putat s consonam excidisse deficiente ullo huius rei in dialecto Dorica exemplo, atque (l. c. p. 159) η vocalem ex ε productione suppletoria natam esse. Sed haud scio an possit cogitari rhotacismo factum esse, ut s abiret in ρ. Iam cum Περρεφόνεια molestum videretur ad pronuntiandum, ρ non σ excidit, quo facto ε mutabatur in η. cf. G. Meyer Griechische Grammatik[2] 1886 p. 80 et glossam Hesychii πήριξ· πέρδιξ· Κρῆτες simili ratione ortam ex Meyeri sententia l. c. p. 264. Verum ne putes Hesychii glossam labem aliquam contraxisse, extat in galea Paesto (?) oriunda deae nomen his litteris scriptum Π]ηριφόναι IGA 538.

Ex eis quae hucusque de dialecto glossarum disputavi, apparet eas nequaquam immunes esse mendorum. Sed ista menda sunt ita comparata, aut ut simul eis insit quo excusentur, aut ut patefiat Doricam vocis formam a grammaticis ad dialecti qualis ab eis credebatur normam esse exactam. Contra vero glossae sacrae vacant illo vitio, quod Kirchhoffius (l. s. c.) castigavit. In nullam enim σ pro θ irrepsit. In eis autem glossis sacris, quas praeter illas de quibus modo dixi colligere potui, nihil contra dialectum peccatum est, quamquam de eis, quae gravioribus corruptelis laborant, certum iudicium ferre non licet. Quae cum ita sint, hoc quidem nacti sumus, ut has Hesychii glossas e lexico vel alio quodam libro grammatici alicuius provenisse dicere queamus, qui cum non mediocriter dialecti Doricae legibus esset institutus, tamen abstinere non potuit, quin regularum a grammaticis constitutarum interdum rationem haberet. Iam cum Kirchhoffius Alcmanem atque Aristophanem, cui addendi erunt alii poetae comici [1]) in eis, quae lingua Dorica composuerant, ab Alexandrinis grammaticis ita fuisse tractatos ostenderit, ut poetae ipsi secundum grammaticorum doctrinam corrigerentur, cum autem in eorum poematis similiter contra vetustiorem Laconum linguam

1) Velut Epilycus, in cuius fragmento (Athen. p. 140 A) extat ἐν pro εἰς. (Meineke Com. Gr. fr. II p. 887. Kock I p. 803).

peccatum esse constet atque modo vidimus in Hesychii glossis sacris, — librum illum, cuius rudera quantulacumque in Hesychii glossis de quibus ago agnoscenda videntur, temporibus quibus Alexandriae ars grammatica florere coeperat, conscriptum esse existimabimus, id est saeculis ante Christum natum inde a tertio ineunte usque ad primum. Nam cum linguae discrepantia non tanta in singulis glossis conspiciatur, ut ad complures fontes eas revocare oporteat, id praesertim cum ubertatem Hesychii potissimum in his conspicuam satis respexeris, grave est argumentum omnes ex libro peculiari de sacris Spartanorum originem ducere. Atque haec ipsa ubertas quam dixi documento esse potest librum illum tertio saeculo potius ineunti vel medio quam primo ante Christum natum esse adsignandum. Non enim credibile videtur tum etiam Spartanorum re publica prorsus deformata seditionibusque turbata et omnino tantum non extincta quemquam tam accuratam atque amplam de sacris ludisque Lacedaemoniorum cognitionem sibi comparare potuisse, qualem in illo libro fuisse credamus necesse est, e quo tot saeculis interiectis Hesychius tot quasi ramenta vel potius tantam scobem servare potuit.

Quam maxime autem favet huic sententiae alia observatio in glossis illis facienda de usu temporum verbi. Nimirum quod saepissime participium quod vocatur temporis praesentis extat [1]), inde vix quidquam possumus efficere, quoniam ad quae tempora id quod illo exprimitur sit referendum plerumque e verbi finiti tempore patefit. Hoc vero pleraeque Hesychii glossae carent. Sed ubi servatum est, semper perinde ac de re etiam tum temporis acta vel credita fit narratio. Velut legimus s. v. Ἀγιγαῖος καλεῖται, θύουσιν s. v. ἀφέδιτος, ἀναδοῦσι s. v. βειέλοπες, προτιθέασι in BA p. 226 s. v. βήρηκες, τιμᾶται s. v. Ἐπιπόλα, πομπεύουσιν s. v. κάνναθρα, καλοῦσι s. v. κουρίδιον, ἐστί s. v. συρμαία, καλοῦσι s. v. Φλοιά. Semel tantum Hesychius verba facit de liturgiis non amplius praestitis (s. v. Καρνεᾶται· ἐλειτούργουν). Quod nihil existimo contra reliquas glossarum explicationes facere. Optime vero se id quoque habere mihi videtur. Nam si haec notitia fluxit e libro saeculo tertio conscripto, illis temporibus illud liturgiarum institutum iam abolitum fuisse facile credemus. Itaque non morabimur in isto tempore praeterito. Stat enim adhuc sententia librum qui fons primarius fuit lexicographis in rebus sacris Spartanorum explicandis post finem saeculi tertii compositum non esse. Nunc videamus num etiam artius eum circumscribere liceat.

---

1) In una tantum glossa aoristo utitur Hesychius: νέαι· ἀγωνισάμεναι γυναῖκες τὸν ἱερὸν δρόμον. Quae optime coit cum ceteris. Nam puellae non prius νέαι audivisse videntur quam cursum illum peregissent.

Iam vero hac in quaestione pergratum accidit, quod in glossis nonnullis enarrandis nomen auctoris ab Hesychio non omissum est. Sed cum nomina legantur semel singula Aristophanis, Didymi, Sosibii, Aristophanem grammaticum hinc statim mittemus. Quae enim glossa eius nomine instructa est, βούθουτον· ὅ τινες ἀμέμαρον. Ἀχαιοὶ (ἄλλοι coni. Kuster.) δὲ ἰσόχοιρον. Ἀριστοφάνης, Λάκωνες, eam quamvis dubitanter huc afferendam tamen putavi, quoniam θύειν verbum in ea voce latens eam quacumque ratione ad res sacras pertinere videbatur indicare. Sed facile conieceris eam esse frustulum parcum atque adeo obscurum ex illustrissimi grammatici opere, cui titulum γλῶσσαι Λακωνικαὶ fuisse Athenaeus (III p. 77 A, p. 83 A) testis est, quodque ipsum citatur ab Hesychio s. vv. ἄκδα et πουρέακος (cf. Nauck. Arist. Byz. fragm. p. 190). Quocirca cum haec glossa eis potius adnumeranda sit, quae dialecto non rebus Laconicis cognoscendis inserviunt — id quod explicatione quoque apparet, quae omnino discrepat a glossis mihi tractandis — ab his segreganda est. Simul autem evanescit gravis Aristophanis auctoritas, quem non eum esse scriptorem quem quaerimus in propatulo est, quippe qui ad voces insolentiores vel dialecticas explicandas plerumque aliorum scriptorum ope usus sit. Quamquam enim permulta eorum, quae in lexicis nobis sunt tradita, ad illius insignem industriam atque doctrinam redeunt, tamen id semper tenendum est, eum voces difficiles explicatu e scriptoribus collegisse potius atque ita interpretatum esse, ut ea quae ad artem grammaticam et etymologicam spectarent ex ingenio suo, quae ad res ipsas, scriptorum optimorum testimonio usus adderet, quam nova de rebus publicis aut de institutis tradidisse. — Deinde Didymum, cuius nomen adscriptum est glossae Λαπέρσαι· Λαπέρσας (Λαμπέσας cod.) Δίδυμος τοὺς Διοσκούρους ἀπὸ Λα[πέρση delev. Schm.] πόλεως, nihil nos iuvare ex eis manifestum est, quae de tempore quo vixisse auctorem lexicographorum veri sit simile disserui. Praeterea Mauricius Schmidt (Didymi rell. p. 87) rectissime mihi hanc glossam ad Sophoclis fragmentum (869 Nauck. Strab. VIII p. 364) retulisse videtur, quo fit ut ne hanc quidem in reliquis glossis ad deorum cultum pertinentibus diutius respiciamus.

Unus superest Sosibius Laco, cuius et tempora egregie conveniunt cum eis, quibus auctorem Hesychii fuisse supra demonstravimus et explicatio vocis Ἠλακάτεια, quam eius esse diserte Hesychius profitetur ἀγὼν ἐν Λακεδαίμονι ἀπὸ Ἠλακάτου, ὃς ἦν ἐρώμενος Ἡρακλέους ὥς φησι Σωσίβιος tam similis est plerisque harum glossarum explicationibus, ut vix dubitari possit, quin re vera fontem Hesychii in glossis ex Spartanorum rebus sacris petitis explanandis deprehenderimus. Quod quam verum sit, etiam aliunde potest demonstrari.

Nam in compluribus Hesychii glossis Sosibii doctrinam inesse mox patefiet fragmenta eius ab aliis scriptoribus servata perlustranti. Videlicet cum bis praeter glossam modo descriptam nomen eius in Hesychio extet (s. v. Περφίλα· Σωσίβιος κύριον ὄνομα et s. v. σάνδυξ· δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν κόκκῳ ἐμφερῆ ἔχει, ὡς Σωσίβιος. ἢ φάρμακον ἱερὸν, καὶ κιβωτός), supra iam vidimus (p. 45) quae Hesychius s. vv. δεικελισταί atque Συκεατίς habet a Sosibio enarrata fuisse teste Athenaeo (XIV p. 621. III p. 78 C). Deinde conferas quaeso glossas Hesychii θυρεατικοί· στεφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις cum Athenaeo (XV p. 678 B): οὕτω καλοῦνται στεφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις ὥς φησι Σωσίβιος ἐν τοῖς περὶ θυσιῶν; Hesychii κριβάνας· πλακοῦντάς τινας cum Athenaei verbis (III 115 A): Σωσίβιος δ' ἐν τρίτῳ περὶ Ἀλκμᾶνος κριβάνας (sic scribendum coll. XIV 646 A) φησὶ λέγεσθαι πλακοῦντάς τινας τῷ σχήματι μαστοειδεῖς et (XIV 646) Κριβάνας πλακοῦντάς τινας ὀνομαστικῶς Ἀπολλόδωρος [1]) παρ' Ἀλκμᾶνι. Ὁμοίως καὶ Σωσίβιος ἐν τρίτῳ περὶ Ἀλκμᾶνος. Tum vero ea quae ex Sosibii libris provenerunt, addita sunt eis, quae ad alium auctorem redeunt s. v. κοδύμαλον, ubi verba οἱ δὲ κυδώνιον Sosibii explicationem continere docet idem Athenaeus (III p. 81 F), qui Alcmanis fragmento μεῖον ἢ κοδύμαλον adscripsit: Ἀπολλόδωρος [1]) δὲ καὶ Σωσίβιος τὸ κυδώνιον μῆλον ἀκούουσιν — neque aliter s. v. πυάνιον, e cuius explicatione ut ad Sosibium verba οἱ δὲ πανσπερμίαν ἡψημένην ἐν γλυκεῖ revocemus adducimur iterum Athenaei loco (XIV p. 648 B). Ad duos enim Alcmanis versus interpretandos Sosibius adscitur: ἔστι δὲ τὸ πυάνιον, ὥς φησι Σωσίβιος, πανσπερμία ἐν γλυκεῖ ἡψημένη [2]). Denique quae sunt in Hesychio s. v. γυμνοπαιδία, Sosibio auctore scripta esse veri simile mihi videtur. In hac voce Hesychium esse supplendum ἀνεκδότων Bekkerianorum auxilio supra (p. 39) demonstravi. Quod si feceris ea ita conspirant cum eis quae Athenaeus (XV p. 678) Sosibio nominato narrat, ut nulla res obstet, quominus ad eundem scriptorem illa quoque referamus.

Sed diutius in hac voce nobis est commorandum. Nam Hesychius non solum ea narrat quae ex aliis lexicis commode augeantur, sed etiam alia, quae cum illis aperte pugnant. Neque temere haec licet respuere; non enim carent testimonio. Audiendus est scholiasta Platonis in libri de leg. I p. 633 B verba ἔν τε ταῖς πρὸς ἀλλήλους ταῖς χερσὶ μάχαις interpretatus hisce: τὰς γυμνοπαιδίας λέγει. γυμνάζοντες γὰρ τοὺς παῖδας ἐν ἡλίῳ τύπτειν ἀλλήλους ἐποίουν μέχρι νίκης. ἐνίοτε δὲ

1) Quod bis Apollodori una cum Sosibio mentio fit, ita est ex grammaticorum more explicandum, ut Athenaeum in Apollodori libro, quem adhibuit, Sosibium testem adscriptum invenisse dicamus.

2) Ex eodem Sosibii loco fluxisse videtur glossa Hesychii: πόλτος· τὸ πυανέψιον (πυανεψίων Heinsius, πυάνιον Schmidtius coni., quod probaverim) ἕψημα.

καὶ σφαῖραν ἢ ἄλλο τι ἐρρίπτουν, ὥστε τὸν πρῶτον ἁρπάσαντα νικᾶν. καὶ πολὺς αὐτοῖς οὗτος ὁ ἀγών. Dubitari nequit quin hoc scholion eandem habeat originem atque verba Hesychii eo longe deteriora: Γυμνοπαιδία· ἔνιοι μὲν ἑορτήν φασι Σπαρτιατικὴν, ἐν ᾗ τοὺς ἐφήβους κύκλῳ περιθεῖν τὸν ἐν Ἀμυκλαίῳ βωμὸν τύπτοντας ἀλλήλων τὰ νῶτα [1]). Scholii igitur fontem si invenerimus, fieri potest, ut arbitrium agamus litis illius quae in Hesychio comparet. Nam cum opinionem aliquam doctrina Sosibiana redarguat, quid verum sit tum demum pronuntiare licet, cum constat de nomine ac fide eius qui illam professus sit. Scholii autem Platonici auctorem haud scio an iam noverimus. Namque ad libri de leg. I paginam 633 extant quattuor enarrationes uberae morum Laconicorum, quarum prima convivia Spartanorum, secunda verberationes puerorum (cf. p. 24), tertia gymnopaediae, postrema κρυπτεία quae dicitur describuntur. Nonnulla eorum quae his scholiis docemur, alii scriptores non tradunt, neque tamen quidquam in eis ita est comparatum, ut fidem ei utique deroges. Accedit quod uni Platonis paginae sunt adscripta, ut paene uno tenore legantur. Itaque quivis iudicii non praeoccupati mihi plaudet, opinor, affirmanti haec quattuor scholia tota ex uno scriptore sumpta esse ab eo qui Platonis verbis ea adiecit. Iam vero cum in priore dissertationis parte demonstraverim (p. 13 sqq.) Sosibium esse auctorem narrationis voci ξυσσίτια adpositae, ad eundem redire reliqua quoque tria scholia apparet. Quid igitur? Etiam priori parti glossae Hesychianae Sosibii nomen est subscribendum. Ac licet ridiculum putes in glossa Hesychii Sosibium erroris convinci sua ipsius doctrina, tamen est ita. Namque ut ea quae modo exposui quam verissima esse arbitror, ita prorsus exploratum est — nisi forte Athenaeum falsarium nequissimum existimas Sosibii verba suppeditantem (XV 678) — lexicographorum explicationem vocis Γυμνοπαιδία ex hoc ipso Sosibii loco haustam esse. Ecce iuxta glossam ut par erat restitutam Sosibii fragmentum ponam:

lexicogr.	Athen. XV 678.
Γυμνοπαιδία· ἐν Σπάρτῃ κατὰ	Θυρεατικοί· οὕτω καλοῦνται

1) Noli cogitare haec esse de diamastigosi quae vocatur intellegenda. Ea enim fit in laudes Dianae Orthiae, neque circum aram aliquam cursus epheborum instituitur. Contra summa et Hesychianae narrationis et scholii partis prioris posita in eo est, quod pueri sese ipsi verberibus affligunt. Quamquam a scriptoribus sequioris aetatis hic ritus cum diamastigosi illa confusus esse videtur cf. Philostrat. vit. Apoll. VI 20 sq. et Nicolai Dam. parad. § 11: οἱ δὲ παῖδες νομίμως περί τινα βωμὸν περιιόντες μαστιγοῦνται, ἕως ἂν ὀλίγοι λειφθέντες στεφανωθῶσιν, quae verba Trieberus (quaest. Lac. p. 26) aequo acerbius castigavit neglectis Hesychio et scholiasta Platonis.

τὴν ἀγορὰν παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾄδοντες ἐχόρευον Ἀπόλλωνι τῷ Καρνείῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ πανήγυριν εἰς τιμὴν τῶν ἐν Θυρέαις ἀποθανόντων Σπαρτιατῶν.

στέφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις ὥς φησι Σωσίβιος ἐν τοῖς περὶ θυσιῶν. — — φέρειν δ' αὐτοὺς ὑπόμνημα τῆς ἐν Θυρέᾳ γενομένης νίκης τοὺς προστάτας τῶν ἀγομένων χορῶν ἐν τῇ ἑορτῇ ταύτῃ, ὅτε καὶ τὰς Γυμνοπαιδιὰς ἐπιτελοῦσι. Χοροὶ δ' εἰσὶ τὸ μὲν πρόσω παίδων, τὸ δ' ἐξῆς ἀρίστων (Casaub. cod. τὸ δ' ἐξ ἀρίστου cf. p. 16. n.) ἀνδρῶν γυμνῶν ὀρχουμένων καὶ ᾀδόντων Θαλήτου καὶ Ἀλκμᾶνος ᾄσματα καὶ τοὺς Διονυσοδότου τοῦ Λάκωνος παιᾶνας.

Neque vero ridiculum illud est, sed simplicissima ratione explanandum. Videlicet lexicographus quidam cum vocem γυμνοπαιδίαι interpretari vellet adiit Sosibium. Iam cum in eo ipso loco, quem Athenaeus servavit, hanc vocem inveniret, simulque intellegeret de feriis nescio quibus verba fieri, haec retulit ad gymnopaedias atque ex eis vocem interpretatus est. Nimirum leviter Sosibio inspecto non cognoverat homo ille grammaticus, sermonem non esse de gymnopaediis sed de die festo eas antecedente vel quoquo modo cum eis cohaerente. Etenim ita se rem habere documento est καὶ vocula: ὅτε καὶ τὰς Γ. ἐπιτελοῦσιν. Explicatio autem tali modo nata mater fuit omnium quas in lexicis Hesychio excepto habemus vocis Γ. explicationum. Sed re vera cum lemmate non coit. Namque lemma debebat esse ἑορτὴ αὕτη, ὅτε καὶ τὰς Γυμνοπαιδίας ἐπιτελοῦσιν, vel potius nomen quod fuit feriis illis nobis quantum video ignotum. Quae cum ita sint veram gymnopaediarum descriptionem e Sosibio haustam scholio Platonico inesse asseveramus atque priori glossae Hesychianae parti[1]), sed Sosibium quidem inesse etiam posteriori nec non ceteris quae in lexicis extant vocis Γ. explicationibus, at male intellectum.

---

1) Ne quis dubitet, Platonis ipsius verba rem conficiunt (de leg. I p. 633 B): ἔτι δὲ κἀν ταῖς γυμνοπαιδίαις δειναὶ καρτερήσεις παρ' ἡμῖν (ait Megillus Lacedaemonius) γίγνονται τῇ τοῦ πνίγους ῥώμῃ διαμαχομένων. Nam quo modo δειναὶ καρτερήσεις nudis pueris carminibus inter se certantibus subeundae fuerint licet sirius quam maxime caelo arserit, prorsus me fugit. Aliud vero est in sole luctari corpusque exercere. Gymnopaedias autem aestate actas esse intellegitur ex Thucydide (V 82). — Ceterum aliquam qualemcumque notitiam verae gymnopaediarum naturae etiam ad posteriora tempora mansisse docet Philostratus (vit. Apoll. VI 20) et Suidas s. v. Γυμνοπαιδεία· ἡ παλαίστρα ᾗ τοὺς ἐφήβους Λυκοῦργος ἠνάγκαζε — quae verba ut possint intellegi Scaliger (ad Euseb. chron. num. 1347) addidit ἀλλήλους τύπτειν, Bernhardyus ad vocem Λυκοῦργος provocavit, ubi extant: οὗτος —

Fides vero quae sit Hesychio in glossis ad Spartanorum res sacras pertinentibus habenda, hac disputatione nonnihil augetur. Etenim cognoscimus in glossa modo tractata iam in lexico, quod fuit ἀρχέτυπον Hesychiani, Sosibii libros adhibitos fuisse. Nam verba ταῦτα δ' ἐστὶ ψευδῆ usque ad finem ab Hesychio vel potius ab uno quolibet ex eis, qui in excerpendis vetustiorum grammaticorum lexicis viam ei praeierant, adiecta esse ex opinione vulgata verae gymnopaediarum descriptioni in avo ut ita dicam lexici Hesychiani inventae perspicuum est.

Constat igitur ex eis quas attuli glossis doctrinam Sosibianam in Hesychio comparere. Qua de re cum dubitari posse nullo pacto videatur, etiam ea, quae Hesychius s. vv. κουρίδιον et κυνακίας habet de Apolline qui quattuor manibus praeditus esse a Spartanis creditus sit, ex Sosibio grammaticos ab Hesychio compilatos hausisse consectarium est. Nam eum de illius Apollinis cultu verba fecisse diserte narrat Zenobius in explicando proverbio ἄκουε τοῦ τὰ τέσσαρα ὦτα ἔχοντος hisce (I 54): ἡ παροιμία παραγγέλλει (sic liber Athous cum Bodleiano: quae in reliquis extant in Athoo omissa nihil huc faciunt) τῶν ἀληθευόντων ἀκούειν. οὐδεὶς γὰρ ἀψευδέστερος τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν τετράχειρα καὶ τετράωτον ἱδρύσαντο Λακεδαιμόνιοι, ὥς φησι Σωσίβιος, ὅτι τοιοῦτος ὤφθη τοῖς περὶ Ἀμύκλαν μαχομένοις (Ἀμύκλας B, qui μαχομένοις omisit).

Sosibii esse doctrinam, quae in multis Hesychii glossis ad res Spartanorum pertinentibus conspicitur demonstratum est. Sed simul cognovimus vestigia et eius libri quem de Alcmane scripsit, et eius quem περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν. Itaque nova oboritur quaestio utrum omnes glossae ex Spartanorum re sacra petitae ad alterum utrum ex eis referendae sint an in his et ipsis utroque libro lexicographos usos esse veri simile fiat. Quam quaestionem vereor ut ad liquidum possimus perducere. Nam Sosibio in libro de Alcmane conscribendo saepenumero de sacris atque de virginum puerorumque cantu et saltatione verba facienda fuisse per se quidem consentaneum est. Verum si fragmenta Sosibii quibus titulus ἐν τῷ vel τοῖς περὶ Ἀλκμᾶνος adscriptus est perlustraveris, videbis ea id omnia commune habere, ut verbum inusitatum quid significet eis explicetur. Itaque facile eo adduceris, ut eas glossas quae non tam verbi alicuius quam rei sacrae explicationem qualemcumque continent, ad librum περὶ θυ-

---

ἐνομοθέτησε — — καὶ τὴν γυμνοπαιδείαν, ἣ τοὺς ἐφήβους ἠνάγκαζε διὰ παντὸς μὴ ἔχοντας χλανίδα γυμνασίοις προσκεῖσθαι καὶ ἀγωνίζεσθαι δημοσίους ἀρετῆς ἀγῶνας. Maximus Tyr. (diss. VI 8) Lucianus (de saltat. 12) nihil docent. Pausaniae (III 11, 7) verba glossae ipsi adscribenda sunt. vide p. 57.

σιῶν revoces. Sic autem paene omnes Hesychii glossae de quibus hic disputatur comparatae sunt. Quamquam una videtur repugnare, dico θωστήρια· εὐωχητήρια καὶ ὄνομα <ἑορτῆς verissime Reiskius supplevit>, quam ne omitterem benigne Wilamowitzius monuit. Nam cum scholii ad Alcmanis parthenii pag. III vers. 13 adscripti frustulum legatur: θωστήρια ἑορ<τή>, is autem qui haec scholia scripsit quin quocumque modo a Sosibio pependerit dubitari vix possit, Hesychii glossam quoque ad eius commentarium in Alcmanem compositum redire licet affirmare. Sed hoc quamvis veri simile ducas, tamen pro certo esse mihi persuasi eum qui et Alcmanem libris compluribus interpretatus est et de sacris Lacedaemoniorum in opere plus unius libri egit facere non potuisse, quin in utroque volumine saepius eadem exponeret. Itaque cum ceterae huius generis glossae e libris περὶ θυσιῶν sint derivanda cum omni probabilitatis specie, hanc quoque eis adnumerabimus, praesertim cum credibilius videatur homines grammaticos si de festo Laconico verba facienda erant eum librum adiisse, in quo de omnibus ex ordine quodam nobis ignoto agebatur, quam eum in quo et passim sicuti Alcmanis poemata ferebant, de festis dicebatur et num quid inveniri posset omnino ambiguum erat.

Quae cum ita sint revoco omnes lexicographorum glossas, quae ad dies festos a Lacedaemoniis celebratos vel ad sacras caerimonias totamque eorum religionem atque cultum deorum pertinent, ad Sosibii librum περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν [1]). De via autem, qua glossae illae in Hesychii opus venerint, cum parum constet, coniecturam periclitemur. Extitisse quondam lexicon aliquod quo res Spartanae tractatae erant, admodum veri simile est (cf. p. 37). Itaque homines grammatici cum id studerent, ut lexicon in quo nihil frustra quaereres componerent, compendium illud rerum Spartanarum in brevius redactum copiis sua vel aliena industria conlatis inseruerunt. Hoc qui primus fecerat mox suos invicem expertus est compilatores. In serie autem eorum qui ratione ea doctrinam grammaticorum Alexandrinorum ad recentiora saecula propagabant, ultimus est Hesychius noster, qua re perspecta non mirum esse existimo uberam illam eruditionem quae haud dubie in compendio rerum Laconicarum conspicua fuit magis magisque parcam factam esse atque exilem. Cuius rei exemplum satis memorabile est, quod duorum tantum mensium Laconicorum nomina in Hesychio supersunt (cf. glossas 21 et 33 catalogi). In compendio autem quin ea quae ad res sacras spectabant, ex So-

---

1) Id quod Car. Mueller (F. H. G. II p. 626) et Henricus Stehfen (l. c. p. 5) sunt suspicati.

sibii libris περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν sumpta fuerint non vereor ne dubitetur. Nonnulla vero ex eis ipsis quod in aliorum quoque lexicis anonymi potissimum Bekkeriani leguntur, non modo offensioni non est, sed facillime explanatur. Nimirum et scriptores et poetae sicuti res ferebat, mentionem fecerunt instituti alicuius Laconici; velut Thucydides Herodotus dicunt de gymnopaediis, Epilycus de placentis βήρηκες appellatis. Quae ad explicanda cum grammatici Sosibium vel compendium illud adhiberent, factum est, ut ex aliis quoque lexicis frusta nonnulla eruditionis Sosibianae recuperare possimus.

Quot autem glossis ex Hesychii atque anonymi Bekkeriani copiis Sosibii nomen subscribendum censeam ut patefiat, restat ut catalogum glossarum ex ordine alphabetico compositum subiciam. Id tantum praemonendum est me ea testimonia sola addidisse, quae re vera aliquid ad interpretandas vel emendandas glossas prodesse mihi videbantur. Qua in re id magno opere doleo, quod tam exiguam messem ex ipsis titulis Laconicis colligere potui.

---

1. Ἀγητής· ὁ ἱερωμένος, ἄτιμος. ἐν δὲ τοῖς Καρνείοις ὁ ἱερωμένος τῆς θεοῦ. καὶ ἡ ἑορτὴ Ἀγητόρια.

cf. lexici Bachmanniani (BA p. 438): ἀγίτης· ἱκέτης καὶ καθάρσιος· καὶ γὰρ ὁ μύσους ἁγνισθεὶς καὶ ὁ καθήρας οὕτως ἐλέγοντο. Hesychii glossam non sanam esse patet ex ἄτιμος, quod verbum ad ἀτίτης respicere recte Schmidtius intellexit. Habet Hes. s. v. ἀτίτην· ἀτιμώρητον ἄπορον, ἄτιμον, τὸν μὴ ἔχοντα ἀποτῖσαι. Genetivus τῆς (cod. τοῦ Meursius et Meineke) θεοῦ vix explicatur. De Carneis vide Demetrium Skepsium apud Athen. IV 141.

2. Ἀγιγαῖος· Ἄργαλος καλεῖται παρὰ Λάκωσιν ὁ Ἀμύκλαντος υἱός.

Glossa corrupta est. Pausanias (III 1, 3) Argalum Amyclantis filium, Hyacinthi fratrem fuisse dicit.

3. Ἀγλαόπης· ὁ Ἀσκληπιός. Λάκωνες.

4. Ἀγρετήματα· τὰ ἀγορευόμενα τῶν παρθένων. Λάκωνες. Prorsus obscura est. Haereo dubius num faciat aliquid ad hanc intellegendam glossa: ἄγρεται· (ἀγρέται Salmas. ἀγρεταί Ruhnk.) παρὰ Κῴοις ἐννέα κόραι κατ' ἐνιαυτὸν αἱρούμεναι πρὸς θεραπείαν τῆς Ἀθηνᾶς.

5. Αἰγοφάγος· Ἥρα (Heinsius cod.: χήρα) ἐν Σπάρτῃ. cf. Paus. III 15, 7.

6. Ἁλιοβόλη· σύνοδος ἡλίου ἅμα. Λάκωνες.

Hanc glossam quamvis dubius adscripsi tamen, quia ad festos celebrandos solis atque lunae periodos multum valuisse par est. In-

terlunium enim significari intellegitur ex Cleomedis κυκλικῆς θεωρίας μετεώρων libri II capite 5, quod est περὶ φάσεων τῆς σελήνης καὶ τῶν πρὸς τὸν ἥλιον συνόδων (maxime pp. 108. 112 sq.).

7. Ἀλκῖδαι· θεοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις.

Pronuntiandum est aut Ἀλκίδαι aut Ἀλκεῖδαι.

8. Ἀφέδιτος· ἡμέρα παρὰ Λάκωσιν ἐν ᾗ θύουσιν.

Illis enim diebus φιδίτια ad morem solitum non habebantur. cf. O. Mueller l. c. II p. 275/6.

9. Ἀψίαι· ἑορταί. Λάκωνες.

Vereor ne glossa mere dialectica sit et ad Aristophanis λέξεις Λακωνικάς revocanda.

10. Βειέλοπες· ἱμάντες οἷς ἀναδοῦσι Λακεδαιμόνιοι τοὺς νικηφόρους.

Didymus vocem βιέλοπες esse dixit: βειέλοπες οἱ λεγόμενοι ἱμάντες· τοῦτο ὁ Ὦρος διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφει, ὁ δὲ Δίδυμος διὰ τοῦ ι. Choerob. in Cram. an. Ox. II 290. cf. Herodian. II p. 428. Eustath. p. 1453. — Num glossa ad Sosibium revocanda sit, incertum est propter dialectum. B enim pro digammate scriptum est. cf. Lobeck. rhem. 117.

11. Βήρηκες· μᾶζαι ὀρθαί, οἱ δὲ ἁπλῶς μάζας. <ἄλλοι μάζας> ἐπάνω κέρατα ἐχούσας. παρὰ Λακεδαιμονίοις δὲ τὴν ἑορτὴν Βηρηκίαν λέγεσθαι, ἐν ᾗ τοῖς θύουσι προτιθέασι τοὺς βήρηκας. e lexico Segueriano p. 226.

Verba uncis inclusa ex Hesychio sunt adiecta. cf. p. 36. Cibus quidam πάραξ commemoratur in testamento Epictetae CJG II 2448 col. VI 12 cf. p. 1084.

12. Βρυδαλίχα (?)· πρόσωπον γυναικεῖον παρὰ τὸ γελοῖον καὶ αἰσχρόν — — — —, ὅθεν καὶ τὰς μαχρὰς (sic cod. Schmidtius coniecit μαχλικάς, Wilamowitzius coniectan. p. 16: ἀκρίδας) βρυδαλίχας καλοῦσι Λάκωνες.

Quem admodum haec glossa ad genuinam formam sit reducenda nescio. Schmidtius quidem mire singula verba loca sua mutare iubet. Coniungenda videtur cum hac (cf. Mueller l. c. II p. 342 adn. 2) glossa fere proxima: βρυλλιχισταί· οἱ αἰσχρὰ προσωπεῖα περιτιθέμενοι γυναικεῖα καὶ ὕμνους ᾄδοντες, neque aliud quidquam videtur subesse glossis βυλλίχαι· χοροί τινες ὀρχηστῶν παρὰ Λάκωσιν et βυλλίχης· χορευτής. Cf. etiam βρυαλίκται· πολεμικοὶ ὀρχησταὶ μενέδουποι Ἴβυκος (fr. 53 Bergk[4]) καὶ Στησίχορος (fr. 79) atque Pollucem (IV 104): ἦν δέ τινα καὶ Λακωνικὰ ὀρχήματα· — — καὶ βρυάλιχα, τὸ μὲν εὕρημα Βρυαλίχου, προσωρχοῦντο δὲ γυναῖκες Ἀρτέμιδι καὶ Ἀπόλλωνι.

13. Γαιήοχος· ὁ τὴν γῆν συνέχων ἢ ὑπὸ τῆς γῆς συνεχόμενος. ἢ ὁ ἱππικὸς ὁ ἐπὶ τοῖς ὀχήμασιν <ἢ> ἅρμασι χαίρων. Λάκωνες.

pro ὑπὸ τῆς γῆς συν. habent BA p. 229, schol. Didymi in N 125 et EM s. v. ἐπὶ τῆς γῆς ὀχούμενος. — ἅρμασι Perger. cod. ἄρξουσι. Vo-

cem Λάκωνες recte suum locum tenere demonstrat cum Pausanias (III 20, 2. 21, 7) tum titulus Damononis, Roehl JGA 79.

14. Γυμνοπαιδία· ἔνιοι μὲν ἑορτήν φασι Σπαρτιατικήν, ἐν ᾗ τοὺς ἐφήβους κύκλῳ περιθεῖν τὸν ἐν Ἀμυκλαίῳ βωμὸν τύπτοντας ἀλλήλων τὰ νῶτα. ταῦτα δ' ἐστὶ ψευδῆ· ἐν γὰρ ἀγορᾷ ἑορτάζουσι, πληγαὶ δὲ οὐ γίνονται, ἀλλὰ πρόσοδοι χορῶν γεγυμνωμένων.

Cum his Hesychii verbis coniunge quae sunt in BA p. 234: Γυμνοπαιδία· ἐν Σπάρτῃ <κατὰ τὴν ἀγορὰν> παῖδες γυμνοὶ παιᾶνας ᾄδοντες ἐχόρευον Ἀπόλλωνι τῷ Καρνείῳ κατὰ τὴν αὐτοῦ πανήγυριν <εἰς τιμὴν τῶν ἐν Θυρέαις ἀποθανόντων Σπαρτιατῶν>

cf. p. 38 et 50 sq. Amyclaeum, de quo Hesychius dicit, idem templum est atque in titulis a Thucydide (V 18 et 23) descriptis commemoratum. De loco ad gymnopaedias celebrandas destinato Pausanias quoque audiendus est (III 11, 7): Σπαρτιάταις δ' ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς Πυθαέως τ' ἐστὶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς ἀγάλματα. Χορὸς δ' οὗτος ὁ τόπος καλεῖται πᾶς, ὅτι ἐν ταῖς γυμνοπαιδίαις (ἑορτὴ δ' εἴ τις ἄλλη καὶ αἱ γυμνοπαιδίαι διὰ σπουδῆς Λακεδαιμονίοις εἰσίν) ἐν ταύταις οὖν οἱ ἔφηβοι χοροὺς ἱστᾶσι τῷ Ἀπόλλωνι.

15. Δαμοῦαι· οἱ ἐπὶ Μελαντίας πεμπόμενοι. Λάκωνες.

δαμόται coniecit Albertus. Aut de loco Μελαντίαι appellato aut de deae alicuius, cui Μελαντία cognomen fuit, fano est cogitandum.

16. Δεικελισταί· μιμηταὶ παρὰ Λάκωσι.

δίκηλον· ἐκτύπωμα, ὁμοίωμα, εἴδωλον, ἀνδριάς, ζώδιον, παρὰ Λάκωσιν.

δίκηλον· φάσμα, ὄψις, εἴδωλον, μίμημα, ὅθεν καὶ ὁ μιμολόγος παρὰ Λάκωσι δικη[ν]λίκτας.

cf. p. 32. 45. Adponendus est scholiasta Apollonii (I 746): — καὶ δικηλίτας δὲ τοὺς ἐν τῷ σκώπτειν ἀπομιμουμένους τινὰς ἄλλους. cf. Athen. XIV 621.

17. Διονυσιάδες· ἐν Σπάρτῃ παρθένοι αἱ ἐν τοῖς Διονυσίοις δρόμον ἀγωνιζόμεναι.

cf. Paus. III 13, 5. Meineke in Theocr. XVIII 22.

18. Δριωδόνες· θεοὶ παρὰ Λακεδαιμονίοις τιμώμενοι.

Parum probabiliter coniunxit Meineke (Theocr. XVIII 39) hanc cum ἐνδριώνας.

19. Δύσμαιναι· αἱ ἐν Σπάρτῃ χορίτιδες Βάκχαι.

cod. σπάρταις χωρίτιδες. Perperam hanc glossam ad Pratinae fabulam Δύμαιναι ἢ Καρυάτιδες (Athen. IX 392 F) homines docti retulerunt (cf. Meineke Anal. Al. epim. VI p. 360). Pratinas egit de feminis Dymae in vico Spartae habitantibus (cf. Hes. Δύμη· ἐν Σπάρτῃ φυλὴ καὶ τόπος), mulieres autem quae in Bacchi honorem saltando insaniebant, procul dubio δύσμαιναι audire poterant.

20. Εἰραφιώτης· ὁ Διόνυσος παρὰ τὸ ἐρράφθαι ἐν τῷ μηρῷ τοῦ Διός. καὶ Ἐρίφ<ι>ος παρὰ Λάκωσιν.

<ι> Wieseler. cf. p. 33. Hac cum glossa alia est coniungenda: Ἐρίφ<ι>ος· ὁ Διόνυσος, ubi ι addidit Faber.

21. Ἑκατομβεύς· μὴν παρὰ Λακεδαιμονίοις, ἐν ᾧ τὰ Ὑακίνθια.

Fortasse in CJG I 1474. cf. Strab. VIII p. 362. Le Bas inscr. II p. 161 sqq.

22. Ἑλένια· ἑορτὴ ἀγομένη ὑπὸ Λακώνων.

Videntur huc pertinere quae extant apud Pollucem (X 191): ἔστι δὲ καὶ ἑλένη πλεκτὸν ἀγγεῖον σπάρτινον ἐν ᾧ φέρουσιν ἱερὰ ἄρρητα τοῖς Ἑλενηφορίοις. Neque vero cum his cohaeret fabula Diphilea, cuius verum nomen Ἐλαιωνηφρουροῦντες Kaibelius (Hermes XIX p. 260) restituit.

23. Ἐλευσίνια· ἀγὼν θυμελικὸς ἀγόμενος Δήμητρι παρὰ Λάκωσιν. Καὶ ἐν Σικελίᾳ τιμᾶται Ἄρτεμις καὶ Ζεὺς Ἐλευσίνιος παρ' Ἴωσιν.

Sic Schmidtio neglecto distinguendum est cum Welckero (Griech. Goetterl. II p. 557) et C. F. Hermanno (Griech. Monatskunde p. 58). Ce Cerere a Lacedaemoniis culta et de pompa in eius honorem instituta cf. Paus. III 20, 5 et 6. Quadrigis esse certatum in die deae festo docet titulus Damononis JGA 79. — De Aegyptiorum Iove Eleusinio cf. Hartel papyri Rainer p. 33.

24. Ἐλωός· ὁ Ἥφαιστος παρὰ Δωριεῦσι.

Vereor ne falsus sim in hac glossa afferenda, quippe in qua de Doribus, non de Laconibus sermo sit. O. Muellerus conicit Iovem ita esse appellatum (l. c. I 308). Eloreum filium Vulcani fuisse narrat schol. Hom. E 609.

25. Ἐνδριώνας· δρόμος παρθένων ἐν Λακεδαίμονι.

Meineke (Theocr. XVIII 39) suadet ut scribamus ἐν δριῶνας i. e. εἰς δενδρῶνας.

26. Ἐπιδότας· Ζεὺς ἐν Λακεδαίμονι.

ο in ω mutat Salmasius. Iniuria Schmidtius nos relegat ad Plut. mor. p. 1102 E, ubi Iove nominato exponitur ex reliquis deis alium esse Ἐπιδότην, alium Μειλίχιον alium Ἀλεξίκακον. Pausanias Spartae cultum esse narrat daemonem Επιδώτην (III 17, 9), Iovem Epidotam a Mantineensibus (VIII 9, 2).

27. Ἐπικρήναι<α>· ἑορτὴ Δήμητρος παρὰ Λάκωσιν.

<α> recte a Meinekio (Philolog. XIII p. 543) additum esse neque cogitandum esse de die festo ἐπὶ κράνᾳ nominato fortasse demonstrat vox ἐπιλήναια in CJA II 834 b II 46 a Wilamowitzio mihi indicata.

28. Ἐπιπόλα· οὕτως ἐν Λακεδαίμονι ἡ Δημήτηρ ἱδρυμένη τιμᾶται.

cod. ἐπιπολλά em. Meineke.

29. Ἐπισκήν<ι>α· ἑορτὴ ἐν Λακεδαίμονι.

ι addidit Meursius.

30. Ἐργάτ<ε>ια· ἑορτὴ Ἡρακλεῖ τελουμένη παρὰ Λάκωσιν.

ε add. Meineke. cf. Welcker l. c. p. 784. Quarto mensis die acta esse probabile est, quoniam is Herculi sacer fuit. cf. Philochor. fr. 177 (FHG I 413).

31. Ἔφιππος· ἀγὼν γυμναστικὸς παρὰ Λάκωσιν.

Rectius fortasse scripseris ἐφίππιος coll. Plat. leg. VIII p. 833 B. Ceterum quo tendat haec glossa invenisse mihi videor in Polycratis descriptione Hyacinthiorum apud Athenaeum (IV p. 139 E): — ἄλλοι δ' ἐφ' ἵππων κεκοσμημένοι τὸ θέατρον διεξέρχονται.

32. Ἠλακάτεια· ἀγὼν ἐν Λακεδαίμονι ἀπὸ Ἠλακάτου[1]), ὃς ἦν ἐρώμενος Ἡρακλέους ὥς φησιν Σωσίβιος.

Codicis menda adponere nihil attinet; sublata sunt a Musuro et Schmidtio.

33. Ἡράσιος· μὴν παρὰ Λάκωσιν.

34. Θεραπνατίδια· ἑορτὴ παρὰ Λάκωσι.

Sunt feriae Θεραπνατᾶν vel τῶ Θεραπνάτα. Utrum vero ad Menelaum Helenamque colendos an ad Castorem et Pollucem sint institutae, discerni nequit. Illud suadet Isocrates (Hel. 63), hoc scholiastae Pindari (Nem. X 105. Isthm. I 43) et Stephanus Byz. s. v. Θεράπναι. cf. Alcm. fr. 4 Bergk[4].

35. Θεσσαλιώτας· ἐναγισμός τις παρὰ Λάκωσι.

cod. Θεσσαλῶπις ἐναγιασμός em. Meineke.

36. Θηρίτας· ὁ Ἐνυάλιος παρὰ Λάκωσιν.

Pausanias (III 19, 8) Marti cognomen fuisse Θηρειτάν narrat, quia Thero eum nutrivisse credita esset.

37. Θόαξος· Ἀπόλλων.

Verba τῆς Λακωνικῆς quae glossam proximam foedant, ratione nescio qua ad hanc pertinent. cf. Schmidt. ad v.

38. Θοράτης· Ἀπόλλων παρὰ Λάκωσι.

Lycophroni (Al. 352) θοραῖος audit.

39. Θόρναξ· ὑποπόδιον, ἢ ἱερὸν Ἀπόλλωνος ἐν τῇ Λακωνικῇ, ἀπό τε Θόρναχος Θορνάκι<ο>ς Ἀπόλλων.

Thornace simulacrum Apollinis fuisse narrat Herodotus (I 69), quocum Pausaniam (III 10, 10) conferas. Montem fuisse eum Laconicae Stephanus s. v. Θόρναξ docet, qui nomen gentilicium habet. Huc non faciunt Paus. II 36, 1; schol. in Theocr. XV 64.

40. Θυρεατικοί· στεφανοί τινες παρὰ Λακεδαιμονίοις.

Plura apud Athenaeum XV 678 B. cf. p. 51/52.

---

1) Deest Elacatus in catalogis puerorum Herculi dilectorum, de quibus videas Wilamowitzium in com. gram. II p. 15.

41. Θωστήρια· εὐωχητήρια καὶ ὄνομα <ἑορτῆς Reiskius>. cf. p. 54.

42. Ἰσσωρία· ἡ Ἄρτεμις καὶ ἑορτὴ καὶ τόπος ἐν Σπάρτῃ.

Templum huius deae Spartae situm commemorat Paus. III 14, 2 (nam Ἰσσώρας videtur corrigendum esse in Ἰσσωρίας), atque Teuthronae magnum fuisse eius cultum narrat III 25, 4. Loci quibus discimus Dianam ita esse vocatam a clivo cui nomen fuit Ἰσσώριον, sunt Plut. Ages. 32, Steph. Byz. s. v.

43. Καθίππαξις· πομπῆς ὄνομα παρὰ Λακεδαιμονίοις.

Codicis καθίπταξις correxit Ahrensius de d. d. p. 91. Schmidtius nos conferre cum hac glossa iubet: ἱππετοῦμαι· ἠγώνισμαι Λάκωνες. cf. s. v. ἔφιππος.

44. Καλαβοίδια· ἐν τῷ τῆς Δερεατίδος ἱερῷ Ἀρτέμιδος ᾀδόμενοι ὕμνοι. Lectionem καλαβοῦτοι emendavit Ahrensius (l. c. p. 48 adn. 20), collata glossa: καλαοίδια· ἀγὼν ἐπιτελούμενος Ἀρτέμιδι παρὰ Λάκωσιν.

45. Κάν<ν>αθρα· ἀστράβη ἢ ἅμαξα, πλέγματα ἔχουσα, ὑφ' ὧν πομπεύουσιν αἱ παρθένοι, ὅταν εἰς τὸ τῆς Ἑλένης ἀπίωσιν. ἔνιοι δὲ ἔχειν εἴδωλα ἐλάφων ἢ γυπῶν.

cf. Plut. Ages. 19. Athen. IV p. 139 E (ex Didymo). Prellerum (Polem. fr. p. 133—136) erravisse in huius glossae fonte investigando censeo. cf. p. 34. cf. κάνναι· ψίαθοι. καὶ τὰ Αἰγύπτια πλέγματα, ἀφ' ὧν καὶ τὰ κάνναθρα.

46. Καρνεᾶται· οἱ ἄγαμοι, κεκληρωμένοι δὲ ἐπὶ <τὴν add. Mus.> τοῦ Καρνείου (Mus. cod. Καρθ.) λειτουργίαν. πέντε δ' ἀφ' ἑκάστης ..... ἐπὶ τετραετίαν ἐλειτούργουν [1]). Incertum est haec glossa utrum pertineat ad solos Spartanos an ad Dores omnes, qui Carnea celebrabant.

47. Καρυάτεα· θυσία <καὶ ἑορτὴ Ἀρτέμιδος> Λάκωνες.

Verba καὶ ἑορ. Ἀρτ. in glossa antecedente absurda optime huc faciunt [2]). Accedit glossa proxima: Καρυᾶτις· ἑορτὴ Ἀρτέμιδος καὶ ἱερόν. cf. Pausan. III 10, 8. Meineke Anal. Al. 361.

48. Κασσάνδρα· Ἀλεξάνδρα ἐν Λακεδαιμονίᾳ.

Alexandrae templum Amyclis fuisse apparet ex titulo Laconico a Georgio Loeschcke edito, v. Mitteil. d. d. arch. Inst. z. Athen. III p. 164. cf. Paus. III 19, 5.

1) Glossa Καρνεῖος· ἐπίθετον Ἀπόλλωνος ἴσως ἀπὸ Κάρνου τοῦ Διὸς καὶ Εὐρώπης num a Schmidtio recte ad Callim. h. in Ap. 71 relata sit, potest ambigi. Sed ea turbatur ordo litterarum, quapropter eam omisi. Karnum Iovis et Europae filium fuisse narraverat Praxilla Sicyonia. cf. schol. in Theocr. V 83, ubi recte ἀπὸ Κάρνου pro ἀπὸ Καρνείου restituemus cf. Bergk poet. lyr. gr. III[4] p. 568, 7.

2) Si coll. Paus. III 10, 8 Ἀρτέμιδος s. v. Καρύαι cum verbis καὶ τόπος coniunctum retinere vis, non adversabor; utique vero verba καὶ ἑορτή ad glossam Καρυάτεα pertinent. cf. Phot. s. v. Καρυάτεια.

49. Κορυθαλίστριαι· αἱ χορεύουσαι τῇ Κορυθαλίᾳ θεᾷ.

De Diana Corythalia Spartanorum dea cf. Polemon. apud Athen. IV 139 B. Eadem Tarenti fuit cf. Hes. s. v. κυριττοί.

50. Κουρίδιον· (παρθένιον καὶ τὴν ἐκ παρθενίας ἄνδρα) Λάκωνες δὲ κουρίδιον καλοῦσι τὸν παρ' αὐτοῖς τετράχειρον Ἀπόλλωνα.

τὸν παρ' αὐτοῖς scribendum esse pro παρὰ δὲ αὐτοῖς coniecit unus ex editoribus Thesauri linguae Graecae s. v. κουρ. Quae uncis inclusi, pertinent ad Hom. E 414.

51. Κυνακίας· ἱμάντες, οἱ ἐκ βύρσης τοῦ σφαγιασθέντος τετράχειρι Ἀπόλλωνι βοὸς ἔπαθλα διδόμενοι (Albert. cod. διδομένου) cf. s. v. βειέλοπες. et πυρώλοφος (Phot. πυρσολόφους)· ἱμάντες οἱ <ἐκ Phot.> παροπτηθεισῶν βυρσῶν τεμνόμενοι.

Apollinem illum perperam ut videtur Le Bas (l. c. expl. p. 100 sq. n. 180) adgnovit in figura quattuor bracchiis instructa, de qua cf. Mitteil. etc. II p. 382. No. 200.

52. Νέαι· ἀγωνισάμεναι γυναῖκες τὸν ἱερὸν δρόμον.

cf. s. v. Διονυσιάδες. Meineke audacissima coniectura hanc glossam temptavit (in Theocr. p. 488) ut posset ad Theocriti νεολαία referri.

53. Ὀρθία· Ἄρτεμις οὕτως εἴρηται ἀπὸ τοῦ ἐν Ἀρκαδίᾳ χωρίου ἔνθα ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἱδρῦσθαι — [1]).

Parco testimoniis scriptorum. cf. Trieber quaest. Lac. p. 30. Ludi in Ἀτρέμιτος Ὀρθείας honorem a pueris equitantibus celebrati commemorantur CJG I 1416. cf. 1444. Le Bas-Foucart l. c. 162 d.

54. Πηρεφόνεια· Περσεφόνεια Λάκωνες.

In titulo Π]ηριφόναι JGA 538, sed [Π]ερσεφόνᾳ CJG I 1464.

55. Πιτανάτης· (ὁ Πιτανάτης λόχος αὐτοσχεδά ζεται, οὐκ ὢν ταῖς ἀληθείαις cf. Herod. IX 53. Thuc. I 20). Πιτανάτῃ δὲ ἀγῶνι γυμνικῷ ἐν Πιτάνῃ ἀγομένῳ.

Schmidtius codicis scripturam Πιτανάτηδι ἀγῶ — correxit.

56. Ποδίκρα· ὄρχησις πρὸς πόδα γινομένη. Λάκωνες [2]).

57. Πολύβοια· θεός τις, ὑπ' ἐνίων μὲν Ἄρτεμις ὑπὸ δὲ ἄλλων Κόρη.

Polyboea soror Hyacinthi (Paus. III 19, 4) fuisse credebatur.

58. Ποσείδαια· (cod. -ία) ἑορτὴ Ποσειδῶνι τελουμένη.

Haec glossa num ad res Spartanas pertineat potest dubitari.

---

1) Quae s. v. Ὀρθωσία· ἐπώνυμον Ἀρτέμιδος leguntur, huc non pertinent, si quidem Orthosia ab omnibus Doribus colebatur. cf. Herod. IV 87.

2) Fortasse de saltatione, quae βίβασις Polluci (IV 102) audit, est cogitandum. — S. v. Διπόλια verba in Hesychio extant καὶ εἶδος Λακωνικῆς ὀρχήσεως manifesto ad glossam proximam (διποδία) retrahenda. Sed hanc praetermisi, ut par erat in glossa ad Aristophanem (Lysistr. 1243) spectante.

cf. Bursian. in Mus. Rhen. XI p. 339. Quamquam is titulo Damononis in quo sunt Ποοΐδαια refutatus est. cf. etiam CJG I 1430.

59. Προλόγια· θυσία πρὸ τῶν καρπῶν τελουμένη ὑπὸ Λακώνων.

60. Πωλία· χαλκοῦν πῆγμά τι. φέρει δὲ ἐπὶ τῶν ὤμων τὰς τῶν Λευκιππίδων πώλους. δύο δὲ εἶναι παρθένους φασίν. 'Videntur haec ad Spartanas pertinere Leucippides deas, quarum sacerdotes virgines et ipsae Leucippides vocatae. Paus. III 16, 1'. Boeckh. in CJG I 1449[1]).

61. Σελ<λ>ασία· Ἄρτεμις. et Σελ<λ>ασία· τόπος τῆς Λακωνικῆς, ὅθεν εἰκὸς κληθῆναι τὴν Ἄρτεμιν, cuius glossae pars prior redit ad Xenophontem (hell. II 2, 13) vel Theopompum cf. Steph. Byz. s. v.

62. Σταφυλοδρόμοι· κατὰ τὴν τῶν Καρνείων ἑορτὴν στέμματά τις περιθέμενος τρέχει, ἐπευχόμενός τι τῇ πόλει χρηστόν. ἐπιδιώκουσι δ' αὐτὸν νέοι, σταφυλοδρόμοι καλούμενοι. καὶ ἐὰν μὲν καταλάβωσιν αὐτόν, ἀγαθόν τι προσδοκῶσι κατὰ τὰ ἐπιχώρια τῇ πόλει· εἰ δὲ μή, τοὐναντίον. BA p. 305.

Σταφυλοδρόμοι· τινὲς τῶν Καρνεατῶν παρορμῶντες τοὺς ἐπὶ τρύγῃ Hes. Confirmant hunc morem tituli CJG I 1387, 1388, quamquam in eis est forma σταφυλοδρόμας.

63. Στεμματιαῖον· μίμημα τῶν σχεδιῶν, αἷς ἔπλευσαν οἱ Ἡρακλεῖδαι τὸν μεταξὺ τῶν Ῥίων τόπον. BA p. 305.

Στεμ<μ>ατιαῖον· διχηλόν τι ἐν ἑορτῇ πομπέων δαιμόνων. Hes. δαίμονος cod. corr. O. Müller. l. c. II p. 344 adn. 2, cui adversatur Lobeckius in Aglaoph. p. 175 (n). Pausaniae verba (III 20, 9) quibus de deo loquitur, cui Στεμματίας cognomen fuit, corrupta sunt. Ceterum de glossis σταφυλοδρόμοι et στεμματιαῖον idem dicendum est atque de Καρνεᾶται.

64. Συκεάτας· ὁ Διόνυσος. cf. p. 46 et Athen. p. 78 C.

65. Συρμαία· ἀγών τις ἐν Λακεδαίμονι ἔπαθλον ἔχων συρμαίαν. ἔστι δὲ βρωμάτιον διὰ στέατος καὶ μέλιτος. cf. p. 32.

66. Σχινάτας· σχινατίων ἀγών τις ἐπιτάφιος ἐν Λακεδαίμονι. Antistita cum aliorum deorum tum Ἀσκλειπιοῦ Σχοινάτα ἐν τῷ Ἕλει (vico Spartae) commemoratur in CJG I 1444, unde Hesychius fortasse potest corrigi.

67. Ταινάρια· (Pearso. cod. Ταιναρίας) παρὰ Λακεδαιμονίοις ἑορτὴ Ποσειδῶνος· καὶ ἐν αὐτῇ Ταιναρισταί. Ταίναρον γὰρ πεδίον Λακωνικῆς. cf. Steph. Byz. s. v.: Ὧρος δέ φησιν ἐν τῇ ὀρθογραφίᾳ, Ταίναρον πεδίον τῆς Λακωνικῆς, καὶ Ταιναρῖται οἱ ἐν αὐτῷ.

De Neptuno cf. Plut. Cleom. 22. Pseudo-Eupol. fr. 140 (Kock com. Att. fr. I 295). JGA 83, 84, 86, 88. CJG I 1335. Le Bas-Foucart l. c. 255 d. Taenariorum catalogi sunt apud eosdem 163 b. c. d.

---

1) Contra apud Le Basium (l. c. 162 j) in titulo commemoratur ἱερεὺρ Λευκιππίδων καὶ Τινδαριδᾶν.

68. Ταλῶς· ὁ ἥλιος. Haec glossa videtur esse inter Laconicas referenda propter locum Pausaniae III 20, 5: Ἄκρα δὲ τοῦ Ταϋγέτου Ταλετὸν ὑπὲρ Βρυσεῶν ἀνέχει. ταύτην Ἡλίου καλοῦσιν ἱεράν κτέ. Atque quocumque pacto cum voce Ταλῶς esse coniungendum Iovis cognomen, quod legitur in inscriptione 162k a Le Basio collecta atque a Foucartio edita Ταλετίτας [1]), Foucart. probabiliter coniecit, imprimis ob Iovem Ταλλαῖον in Creta cultum [2]) (cf. Hes. s. v. Ταλαιός. CJG 2554, l. 95 et 178. Rhangabé Ant. hellén. 2478). Iam vero extat glossa Hesychiana Ταλαιδίτης· ἀγὼν γυμνικός, quae hac scriptura ordinem κατὰ στοιχεῖον turbat. Itaque si Schmidtius recte suspicatur Hesychium scriptum invenisse Ταλεός pro Ταλαιός — id quod probabile duco — non dubitabimus glossam proximam ad exemplar inscriptionis Laconicae in iustam formam restituere, ut scribamus: Ταλετίτης· ἀγὼν γυμνικός. Qua in re si non falsus fui, id quoque licet autumare, ludos illos, qui a loco Ταλετῷ nomen acceperunt, fuisse in honorem Iovis Ταλετίτα celebratos a Spartanis.

69. Τριήμερος· Θεσμοφόρια ὑπὸ Λακώνων (Musur. Λακώνεις cod.). cf. Welcker l. c. p. 507.

70. Τριῶλαξ· ἀγὼν παρθένων δρόμου. cf. s. v. νέαι.

71. Τυρβασία· χορῶν ἀγωγή τις διθυραμβικῶν.

Ad Spartanos pertinere hanc glossam patet ex Poll. IV 104: ἦν δέ τινα καὶ Λακωνικὰ ὀρχήματα — — — τυρβασίαν δ' ἐκάλουν τὸ ὄρχημα τὸ διθυραμβικόν.

72. Ὑακίνθια [3])· ἑορτὴ ἐν Λακεδαίμονι <Ἀπόλλωνος τὰ ὑακίνθια recte e glossis proximis huc retrahit Schmidtius, quibus addas ἀπὸ Ὑακίνθου coll. gl. Ἠλακάτεια> cf. Athen. IV p. 139 D. σεμνότατος ἀγὼν τῶν Ὑακινθίων legitur in CJG I 1440.

73. Ὑαλκάδαι· χορὸς παίδων, Λάκωνες.

74. Φλοιά· τὴν Κόρην τὴν θεὸν οὕτω καλοῦσι Λάκωνες.

Phloeam, quam Liberam esse vult, coniungit cum Dionyso Φλοίῳ Lobeckius rhem. p. 31. Aglaoph. p. 402 n.

75. Χαλκηδάνη· ταύτης ἱερὸν ἐν Σπάρτῃ.

Schwenckius (Mus. Rhen. XIII p. 146) hac via glossam sensim corruptam esse arbitratur: χαλκη δανη = χαλκι.... ΔΑΝΗ ex Α. ΗΝΑ

---

1) Cumanudes (Ἀθήναιον I p. 257) attulit verba Pausaniae, e quibus cognomini Iovis lucem affunderet.

2) Adscribendum est singulare scholion Platonicum (de leg. I p. 624 B): ἐγένετο καὶ τούτων (scil. Μίνω καὶ Ῥαδαμάνθυος) τρίτος ἀδελφός, Τάλως, ὃς δὴ ἔνοπλος τὴν Κρήτην περιιέναι φρουρῶν ἐλέγετο.

3) Glossae Ὑακινθίδες Hesychii, E[1] M[1] (apud Millerum) Harpocrationis pertinent ad Atheniensium religionem cf. Suidam s. v. παρθένοι.

vel A . ANA, ita ut glossa primitus fuerit χαλκίοικος[1]). Sed certum hoc esse vetat ordo alphabeticus; posita enim est glossa inter χαλκογλ. et χαλκοδ.

76. Ψίλακερ· <διὰ Schm.> τὸ ἡγεῖσθαι χοροῦ.

Ad hanc glossam faciunt quae Photius et inde Suidas habet s. v. Ψιλεύς· ἐπ' ἄκρου χοροῦ ἱστάμενος. ὅθεν καὶ φιλόψιλος παρ' Ἀλκμᾶνι ἡ φιλοῦσα ἐπ' ἀκροῦ χοροῦ ἵστασθαι. Contra est in Hesychio ψιλεῖς· οἱ ὕστατοι χορεύοντες. Sed controversia, quam habet Hesychius cum Photio, facile explicatur. Ψιλός enim is est qui intervallo aliquo a ceteris eiusdem chori personis distat, neque quidquam refert utrum is rectius ultimus an citimus possit appellari: uterque aeque ψιλός est. His cum glossis cohaerent duae, quas ad quintum Sosibii fragmentum (= Athen. XV 678 B) pertinere Carolus Mueller rectissime coniecit: ψιλός· στέφανος πτερινός, atque ψιλίον· πτερὸν.... ἢ εἶδος ἄνθους. Ψίλακα Liberum vocatum esse affirmat Pausanias III 19, 6: ψίλα γὰρ καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά.

Addendum.

Quod p. 17 affirmavi a Plutarcho (vit. Lyc. 21) in versu viris canendo scriptum esse αὐγάσδεο idque verbum librariorum culpa eiectum esse, nunc Wilamowitzio iuvante novo argumento stabilire possum. In optimo enim codice Seitenstettensi glossema illud πεῖραν λαβέ in rasura a manu recentiore additum est. 'Latere videtur αὐγάσδεο' C. Th. Michaelis de Plutarchi cod. manuscripto Seitenst. Berolini 1885. p. 18.

---

1) Glossa Χαλκίναος· Χαλκίοικος procul dubio spectat ad poetam aliquem, quapropter a Sosibianis abesse debet.

Vita.

Iustus Henricus Ludovicus Weber natus sum Iavore in oppido Silesiae die XV. mens. Ian. a. 1864 patre Gustavo matre Elisabeth e gente Stuppe. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis imbutus in progymnasio Iavoriensi transii in gymnasium, quod cum illo coniunctum e quo conditum est auspiciis floret Ricardi Volkmann. Pio semper animo recolam praeceptores meos imprimis Volkmannum, qui litterarum antiquarum amorem ut animo iniceret et foveret semper studebat. Maturitatis testimonio instructus vere 1881 Vratislaviam me contuli, unde anno post Tubingam commigravi sex menses commoraturus, quibus praetermissis per annum academiae Berolinensis civis fui. Per quinquies igitur sex menses disserentes audivi viros doctissimos: Caro Curtius Dillmann de Gutschmid Hertz Kirchhoff Keller Koestlin Mommsen Mueller Partsch Regelsberger Reifferscheid Rohde Schmoller Scholz Schrader Schwabe de Treitschke Vahlen Zeller. Autumno anni 1883 Georgiam Augustam adii, ubi scholis interfui vv. dd. Baumann Dilthey Kluckhohn W. Meyer Peipers Sauppe Schroeder Volquardsen Weiland Wieseler de Wilamowitz. Regii philologorum proseminarii sodalis fui moderante Wilamowitzio bis sex menses, seminarii sodalis ordinarius ter rectoribus Sauppio ac Wilamowitzio. Ad exercitationes graecas Wilamowitzius ad historicas Volquardsenus benigne aditum mihi permiserunt. Examen rigorosum die VI. mensis Augusti 1886 absolvi.

Omnibus eis qui me docuerunt gratias refero quam maximas, prae ceteris vero HERMANNO SAUPPE UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF, quorum benevolentia quanta erga me fuerit numquam obliviscar.